FRANCISCI STO-RELLAE ALEXANENSIS PHI-loſophi, in almo Salernitano Gymnaſio Poſteriores Analyticos, atq; Phyſicas auſculta-tiones, publicè profitentis.

LIBELLVS QVO AD PERIPATETI-cas aures, ſingulare uerum ſyllogiſmũ ingredi ad-uerſus pſeudologicos huius tempeſtatis, luce clarius oſtenditur.

AD EXCELLENTEM MARTIVM
Martiranum à ſecretis atq; conſilijs Sacræ
Cæſareæ Maieſtatis.

NEAPOLI.

Matthias Cancer & Thomas Riccionus ſocij
Excudebant. Anno Domini.

M. D. LVII.

FRANCISCVS STORELLA EXCELLENTI MARTIO *Martirano à ſecretis atq; conſilijs Sacræ Cæſareæ Maieſtatis fœlicitatem.*

INTER Cætera organicæ facultatis dogmata unum iuniores tanq; uerißimum admittere ſolent, Singulare uidelicet Syllogiſmum ab Ariſto. deſinitum haud quaq; ingredi poſſe. In hoc cùm pluries, & in Neapolitana, & in Salernitana academia, ueluti falſiſſimum fuerim inuectus, Hinc contra me oppoſitæ partis fautores inſurgunt, clamant, obloquuntur; adeoq; demum uociferantur, q̃ it uſq; ad ſydera clamor. Ego autem, noſtræ ætatis decus, horum uanos rumores floccipendẽs, ut & hi ſuum errorem agnoſcant, & alij, quis noſtrum iuſtius induat arma, iudicare poſſint, hunc libellum ædere decreui, quo non ſolum noſtram opinionem pro uirili munitam, ſed etiam rationes eorum efficaciſſimè dilutas arbitramur. Verùm quia Zoilorum infinitum ferè numerum præuidemus, ob hoc ipſum acerrimo defenſore muniendum animaduertimus, nec illum inuenire difficile fuit. Nã cùm non ſolùm ob generis nobilitatem, in militari diſciplina præſtãtiam, & duplicis ſummi muneris funtionem MARTIVM *Martiranum omnes agnoſcant, colant, atq; uenerentur: ſed etiam ob omnium diſciplinarum (quibus refertus es) cognitionem, ſic tuum fulgeat nomen, ueluti Sol inter Stellas, meritò è tanto nobilium cetu tu ſolus mihi occurriſti, ſub cuius fulgentiſſimo nomine Libellus tutiſſimè in lucem exire poſſet. qua de re eum tuo ſplendidiſſimo nomini conſecrare decreui, ac decretum iam executioni mando, quem (& ſi exiguum ſit munus) ſi ea animi benignitate acceperis (ut ſpero) qua cætera Excellentiæ tuæ ab humillimis ſeruis tradita, ob innatam humanitatem, admittere conſueuiſti, me nedum acerrimum defenſorem, ſed etiam humanam fœlicitatem nactum exiſtimabo. Vale ex academia Salernitana quarto idus Feruarij.* 1557

INQVISITVRI Nunquid ſin-
gulare Syllogiſmum ingrediatur, quæ-
ſitum quadripartimur, Prima ſiquidem   Ariſto. & I
pars iuxtà peripateticum dogma termi-   Auer. p°. po
norum explicationem declarabit. Secun-   ſter. 2°. &
da quæſtionis partem affirmatiuã (quã   Them. p°.
ueriſſimam iudicamus) demonſtrare nitetur. Tertia uerò (ſi di-   poſt. 1. et 2
uinum fauerit numen, ut ſpero) obiectiones, quæ ab aduerſarijs   & 9 2i.
contra noſtram determinationem adducũtur, uel poſſent adduci,
demolietur. Vltima tandem ad uberiorem doctrinam annotatio-   Hic eſt lo-
nes nonnullas explicabit, cognitio quarum huic perſcrutationi, ue-   cus 1. notã-
luti quædam appendix, adminiculabitur.   di in 4. par-
te poſita.

PRIMA PARS.

INquirentes nunquid ſingulare ſyllogiſmum ingrediatur, illud in primis annotari uolumus, quòd ſingulare apud nos hoc in loco, nil aliud ſignificat, niſi orationem affirmatiuã, uel negatiuam ex ſingulari ſubiecto conſtitutam, quo quidem in ſenſu Ariſt. in libro Periherm. ſæpe ſæpius uſum fuiſſe uidemus. Rurſus cùm ſingulare apud eundem pro nunc tribus modis ca-piatur, ſumitur enim quandoq; pro parte rei eſſentiali, quo qui-dem modo dictum eſt, ꝙ circulus totum quoddam, & indiſtin-cte ſignificat, definitio autem ipſius diuidit in ſingularia. Non-nunq; uerò pro minus uniuerſali, quo quidem in ſenſu ultimæ ſpecies, uel quaſi ultimæ reſpectu ſuperiorum, ſingularia uocan-tur, ut primo Phyſi. annotauit Auer. Solet etiã tertio modo pro-priiſſimè ſumi pro indiuiduo, quod unum numero exiſtit, ut So-

1m. — Secti. 2a. — 2m. — 1. phyſi. 5. — 4.

In præfatio crates, & Plato, hic, & hoc, quo ī ſignificato experientiā ſingu
ne meth. larium eſſe, ſcriptum habemus. Cum dico ſingulare his tribus
Locus 2. no modis capi ſoleat, nos inquirentes an oratio affirmatiua, uel nega
tandi. tiua ex ſingulari ſubiecto conſtituta ſyllogiſmū ingrediatur, ſin
gulare tertio modo aſſumi uolumus, orationem ſiquidem affir-
matiuam uel negatiuam ex ſubiecto ſingulari conſtitutam ac-
cipiēdo ſingulare p°. uel 2°. mō ſyllogiſmū īgredi, nulla eſt diffi
3m. cultas. Poſthæc illud ēt præmonere lubet, ꝙ cùm quatuor ſint
argumentationis ſpecies, ſyllogiſmus, inductio, enthymema, &
exemplum, ſolùm inquirimus nunquid ſingulare ſyllogiſmum
ingrediatur, cæteras enim ingredi poſſe 2°. Prior. clarè docuit
26, 27. et Ariſt. Vlterius cùm ſyllogiſmi nomen multifariam uſitetur, ne
29. æquiuocatio nos confundat, quot modis capiatur, ac quis illorum
præſenti quæſito deſeruiat, declaremus. Syllogiſmi nomen quan-
doq; adeò fusè uſurpari ſolet, ut quatuor argumentationum ſpe-
cies ſignificet, ſicut & ipſa argumentatio, quo quidem in ſen-
1. ſu Auer. primo Poſt. cœpiſſe uidetur dicens, enuntiatio tamen
uera, & neceſſaria eſt in rebus quæ ſyllogiſmo addiſcuntur.
quam quidem acceptionem à noſtra inquiſitione abijciendā eſſe,
ex his quæ iam annotauimus eſt manifeſtum. Rurſus, ſicut de-
Locus 3. monſtrationis nomen quandoq; adeò cōmuniter uſitari ſolet, ꝙ
notādi. ad ſyllogiſmi ſui generis ſignificationem ſe extendit; ſic è con-
2. uerſo, ſyllogiſmus nōnunq; adeò præſsè uſurpatur, ꝙ ad demon
ſtrationis ſuarum nobiliſſimæ ſpecierum ſignificationem coar
Cap. ultimo ctatur, quo modo in penultimo diuinorum Ariſt. cœpiſſe, perſpi-
cuum eſt. at nec hic acceptionis modus præſenti quæſito deſer-
uit, haud etenim inquirere intendimus, nunquid ex ſingularibus
cap. 21. & ut ſingularia ſunt demōſtratio fieri queat, quod in primo Poſt.
22.

Ariſt.negaſſe uidetur,ſed uniuerſalius,nūquid ſyllogiſmus de=
monſtrationis genus ex talibus conflari poſſit, indagare cupi=
mus. Qua de re his acceptionibus prætermiſſis, inquirentes an
ſingulare ſyllogiſmum ingrediatur, ſyllogiſmum ſic accipi uolu
mus,ut pluries eum definiuit Ariſt. dicens, ꝙ eſt oratio, in qua Locus 4.5.
quibuſdam poſitis,neceſſe eſt alterum quid à poſitis euenire,eo & 6.
ꝙ hæc ſint. Demum illud uellem unumquemq; animaduertere, 5.
nos non inquirere,an ſingularē ſyllogiſmo conducat, ſed an ip=
ſum actu ingrediatur.nam cùm principium ſit acquiſitionis uni= 1.phyſ.5.
uerſalis,quod eſt principium doctrinæ demonſtratiuæ,nulli du= Auer.
bium ꝙ ſyllogiſmo,& demonſtratiuo præſertim maximè con=
ducit.Eſt igitur tituli explicatio hæc, an oratio affirmatiua, uel Epilogus.
negatiua ex ſubiecto ſingulari,ut Socrates,conſtituta ſyllogiſ=
mum ab Ariſto.definitum actu ingrediatur. Sed ambiget quis, Dubitatio.
cur quæſitum ſub hoc modo loquēdi mouetur? quæritur an ſin
gulare.i.oratio affirmatiua,uel negatiua ex ſingulari ſubiecto
conſtituta ingrediatur ſyllogiſmum? non autem ſub hoc? quæ=
ritur an propoſitio ſingularis ingrediatur ſyllogiſmum? ad hoc Reſpōſio.
dicimus ideo à nobis hoc eſſe factum,nè quod quærimus ſuppo=
nere uideamur,nam ſi à nobis inquireretur nunquid ſingularis
propoſitio ſyllogiſmum ingrediatur,cùm quæſitum ſit compoſi
tum,ex primo Poſt:neceſſariò unum quæreret,& aliud ſuppo= 73.
neret,quæreret profectò an ex ſingulari propoſitione ſyllogiſ=
mus confici poſſit,ſupponeret uerò (quod & aduerſarij uolūt)
ſingularē propoſitionem,modo cùm eatenus ſit propoſitio, qua= In expōne.
tenus eſt pars ſyllogiſmi (ut aliàs nos declarauimus & ipſi ēt 11.1.poſt.
confitentur) cui dubium ꝙ ſupponentes ſingularem propoſi= In quæſito
tionem,& ſyllogiſmi partem,ſingularem ſupponeremus?quod de hac māia

& 1. poſt. quidem quæritur. At quæſitum mouēdo modo, quo ſuperius eſt
13. dictum, nullum contingit abſurdum.

SECVNDA PARS.

HVIVS Quæſiti ad præfatum ſenſum declarati, partem affirmatiuam tanq̃ ueriſſimam ſuſtinendam arbitramur, nec quidem temerè, ſed efficaciſſimis rationibus adducti ad hoc aſſerendum impellimur, inter quas primum locum obtineat hæc.

PRIMA RATIO.

SINGVLARE Ingreditur enthymema, ergo & ſyllogiſmum, antecedens tum ab aduerſarijs eſt conceſſum, tū
29. ab Ariſt. eiuſq; expoſitoribus 2. Prio. eſt declaratum. Vt autē conſequentia pateſiat unū oportet aſſumi quod eſt, ſyllogiſmū
Ibidem. in eo ab enthymemate differre, ut Auer. & Ariſto. apertiſſimè
Locus 7 notandi. dicunt, q ſcilicet ſi altera propoſitio ſolùm profertur, altera uerò aliqua de cauſa mente concipitur, enthymema fit, at ſi utraq; exprimitur, id quod ex illis componitur, non enthymema, ſed ſyllogiſmus nuncupatur. tunc ſic, accipiatur enthymema, cuius altera propoſitio ſit ſingularis, ac ea, quæ mente cōcepta erat exprimatur, tunc curtum enthymema (per ſuppoſitū) ſyllogiſmus eua ſit. Hunc itaq; ſyllogiſmum ſingulare ingredi quis indubium
Fuga. uertet? Sed dicent ſyllogiſmum, in quem enthymema redactum eſt, non eſſe uerū, ſed ſecundum apparentiam ſyllogiſmum, nam ſicut mortuus homo, quia propria hominis operatione caret, non uerè, ſed ſecundum apparentiam, & æquiuocè homo nuncupatur, ſic ad propoſitum, cùm hic ſyllogiſmus propria ſyllogiſmi

operatione careat, non enim ex propoſitionibus naturaliter notis concluſionem concludit naturaliter ignotam, quod eſt propriũ operatio ſyllogiſmi, ſed concluſionem infert ſingularem notam ad ſenſum, non uerè ſed æquiuocè ſyllogiſmus nuncupabitur, modo huiuſmodi ſyllogiſmos ſingulare ingredi non negamus, (aiunt) ſed bene ex ea uerum ſyllogiſmum ab Ariſt. definitum confici poſſe inficias imus. Nos autem hanc fugam demoliri cupientes (admiſſo pro nunc proprium ſyllogiſmi operationem eſſe concludere naturaliter ignotum) quærimus ab eis, quo modo dicunt ſingularem non eſſe naturaliter ignotam quia nota ad ſenſum? aut quia omnia ſingularia nota ad ſenſum & nulla naturaliter ignota? aut quia quædam ſic, quædam uerò non? ſi primum, ridiculum eſt, quippe cùm non pauca ſingularia ſint, nedum à ſenſu remota, quinimò pœnitus ignota, ut materia prima, ultimum cœlum, intelligentia lunæ, & alia quædam, cuiuſmodi ſingularia &c. eſſe, & ſyllogiſmo eſſentialiter cognoſci quandoq; clarè confeſſus eſt Auer. ſi ſecundũ affirmabunt, maiori riſu digni erunt, nã quis hæc puerilia eſſe non cognoſcet? quia aliqua ſingularia nõ ſunt naturaliter ignota, ideo ex ſingularibus nullum ſyllogiſmum ingredietur. Secundò, concedatur his oĩa ſingularia ſenſui nota quoad ſi eſt, nũqd ob hoc ſyllogiſmus ex ſingulari conſtitutus naturaliter ignotam concluſionẽ non inferret? eſto etenim ꝙ ſingularia omnia ſenſui nota cõcederemus, nonne horum attributa naturaliter ignorari poſſunt? Socratem ſanè ſenſu percipimus eſſe, an uerò Socrates intellectum habeat non eductum, eſt pœnitus ignotum. Lunarem orbem ſenſu profectò uidemus, an uerò ex quatuor elemẽtis ſit compoſitus, anue cœperit quandoq; naturaliter ignotum eſſe, quis inficiabitur?

Impug. pª.

In epiſt. logicæ cap. de Rhe. per ſuaſiua paulò poſt medium.

Impug. 2.

hunc triangulum ſenſu conſpicimus, an uerò treis habeat æqua-les duobus rectis, pœnitus ignotũ arbitramur. quod autem de his dicimus, de infinitis ferè alijs dici poſſe quiuis animaduertet. huius-modi itaq; naturaliter ignotas ſingulares ſyllogiſmo colligi

Impug 3. poſſe nil prohibebit. Vltimò demum ut clarius fugæ falſitas oſtendatur, concedatur omnia ſingularia eſſe ſenſui nota, eiſq; omnia attributa inhærere ſit notiſſimum, nunquid ob hoc ſyllo-giſmus ex ſingularibus conſtitutus naturaliter ignotum conclu-dere non poterit? Hunc magnetem & eſſe, & ferrum trahere ſenſu conſpicimus, propter quid autem hic magnes ferrum tra-hat naturaliter ignotum eſſe, eſt manifeſtum. hanc lunã & eſſe, & eclypſari oculis intuemur, cur uerò eclypſetur, ſyllogiſmo uelut naturaliter ignotum concludi poſſe nemo ſani capitis infi-cias ibit. Ex quibus omnibus rationem noſtram adhuc inſolutam

Dubitatio. patere arbitramur. Sed contra, nam tunc nõ ſolo ſyllogiſmo, ſed etiã enthymemate poterit uenari naturaliter ignotum, quod con-

2. Poſt. 1. tra Auerroicũ dogma eſſe uidetur. Ad hoc facilis eſt reſpõſio,

reſpõſio. duobus tamen prius fundamentis annotatis, quorum primũ eſt.

In quæſito Auer. inquirens nũquid opus ſyllogiſmi cathegorici poſſit oſten-

de notifica- di per ſyllogiſmum conditionalem, inquit, ꝙ ſi conditionalis po-

tione condi- tentia eſt cathegoricus, poteſt hoc facere, non enim poteſt hoc, ut

tiona'is pau conditionalis, ſed ut potentia cathegoricus. Alterum uerò eſt, en-

lò poſt prin. thymema propinquiſſima potẽtia à ſyllogiſmo differre. ut. n. ex

2. Pri. 2 9. Ariſt. & Auer. ſuperius annotauimus, in hoc ſolùm differt à ſyllogiſmo, ꝙ ſyllogiſmus utramq; propoſitionem habet expreſ-ſam, enthymema autem alteram in uoce, alteram in mente; ꝙ ſi quæ mente concipiebatur, proferetur, non amplius potentia, ſed actu ſyllogiſmus erit. Tunc ad obiectionem dicimus, uerum quia-

dem

dem Auer. affirmare, quod ſcilicet ſolus ſyllogiſmus concludit naturaliter ignotum, quã lo uerò tu obycis, contra, tu deſtruis hoc, quia per te etiam hoc competit enthymemati, dico eo modo, quo dicebat Auer. de conditionali, quod non competit enthymemati, niſi quatenus potentia propinqua ſyllogiſmus eſt.

SECVNDA RATIO.

SECVNDO arguitur ſic, proceſſus ex uniuerſali ad ſingulare regulatur per dictum de omni, ergo ſyllogiſticus Antecedens probatur exemplo, & autoritate, exemplo ut animal de homine, ergo de quolibet contento ſub homine, ergo, de Socrate, qui cõtinetur ſub homine autoritate Auerr. in quæſito de omni prioriſtico aſſerentis quod per dictum de omni fit deſcenſus ex uniuerſali ad ſuum inferius, quod nedum eſt uniuerſale, ſed etiam ſingulare, quam etiam rem in Epit. logices clariſſimè confirmat. Huic reſpondent negando conſequentiã, aiunt. n. quod dici de omni eſt conditio neceſſariò requiſita ad ſyllogiſmũ, non aũt ipſum ſola reponens in eſſe, ſicut n. animal neceſſariò requiritur ad hominem, nec tamẽ ob hoc ualet arguere, eſt animal, ergo eſt homo, quia non ſolùm requiritur animal, ſed etiam rationale, ſic regulari per dictum de omni neceſſariò requiritur ad perfectum ſyllogiſmum, nec tamen ob hoc arguere licet, regulatur per dictum de omni, ergo ſyllogiſmus, quia non ſufficit hoc, ſed etiam requiritur aliud, ut puta quòd propoſitionibus exiſtentibus naturaliter notis, cõcluſio ſit naturaliter ignota, modo cùm ſingularis nota ſit ad ſenſum, non poteſt eſſe naturaliter ignota, eſto itaque quod in tali proceſſu reperiatur dictũ de omni, cùm altera conditio non minus neceſſaria deſideretur, meritò (aiunt) ſequela eſt interimenda. Sed arctius arguatur.

Paulò poſt principiũ.

cap. de pri[a]. figura.

Reſponſio.

Locus 8[1]. notandi.

Replica.

ſic. ex uniueſali per dictum de omni fit deſcenſus ad ſingulare (propoſitionibus exiſtentibus notis) ad concluſionē naturaliter ignotam, ergo talis proceſſus eſt ſyllogiſmus, conſequentia clara, cùm nulla conditio perficiens ſyllogiſmum deſideretur. antecedens probatur, nā cùm dentur ſingularia naturaliter ignota quo ad ſi, quia, & propter quid (ut ſuperius declarauimus) cui dubium, ꝙ ex notis propoſitionibus ad huiuſmodi naturaliter ignota ſingularia per dictum de omni deſcenſus fieri poteſt · ut habere treis æquales duobus rectis prædicatur de qualibet figura habēte angulum extrinſecum æqualem duobus intrinſecis præter adhærentem, ergo & de quolibet contento ſub tali figura, ſed hic triangulus continetur ſub ea, ergo de hoc habere treis æquales duabus rectis prædicabitur.

RATIO TERTIA.

TERTIVM *Argumentum ex Philoponi placitis deſumitur (procedat ſaltim aduerſus eos, qui Philoponi dicta concedunt) quod ut clarius intelligatur duo ſunt declaranda, quorum primum eſt, in multorum, & præſertim Grammatici uia, enuntiationem & propoſitionem iddem eſſe ſecundum rem, ſed ſola habitudine differre, ut n. extra ſyllogiſmum enuntiatio, ut uerò in ſyllogiſmo propoſitio nuncupatur. Alterum uerò eſt, quòd ipſe Ioannes uolens probare dictum de omni, & eſſe in toto nō ſola habitudine differre, ſed etiam re, ſic argumentatur. dictum de omni ſe habet in plus, q̄ eſſe in toto, ergo non ſola habitudine, ſed etiam ſecundum rē ſecernuntur. patet aſſumptum, quia eſſe in toto ſolū in propoſitionibus ex diſparibus terminis conſtitutis inuenitur, at dici de omni non ſolū in illis, ſed etiam in his, quæ ex paribus conficiuntur. quibus ſtantibus ar-*

guitur ſic.datur.enunttatio ſingularis, ergo & propoſitio ſin-gularis.antecedens eſt Ariſto. in libello Peribermenias, conſe-quentia deducitur, nam per primũ Philoponi dictum (quod nedũ Ammonius, Magentinus, & Alexander, ſed forſan Auer. etiã primo Poſt.conceſſit) ſola habitudine differũt, ergo non in plus ſe habet enuntiatio q̃ propoſitio, quod ſi negares, nõ igitur (per ſecundum ſuppoſitum) ſola habitudine diſcrepabunt. modo ſi datur propſitio ſingularis, cùm propoſitio eatenus ſit, quatenus eſt pars ſyllogiſmi, dabitur itaq; ſyllogiſmus ex tali ſingulari propoſitione conſtitutus. argumentum eſt ad hominem, quid. n. hac de re nos arbitremur in expoſitione undecimi apertiſſimè declarauimus. Sectione 2ª 13. p¹.Poſt.

QVARTA RATIO.

QVARTO *Arguitur autoritate Ariſto. qui primo Poſt. clariſſimè ſyllogiſmũ facit, cuius minor eſt ſingularis, utputa omnis triangulus habet treis angulos æquales duobus rectis, hic, qui eſt in ſemicirculo, eſt triangulus, igitur. Sed huic rationi duplicem reſponſionem aſſignant, ut autẽ dilucidè conſpiciatur quantæ efficaciæ utraq; ſit, ſingillatim eas referendo examinemus.* 4.

Inquiunt primo ꝙ hi, qui arbitrantur hanc rationem concludere toto cœlo aberrant, quia putant hanc propoſitionem, hic qui eſt in ſemicirculo eſt triangulus, eſſe ſingularem, cùm lippis, & tonſoribus notum ſit, & omnes logici, & logicaſtri concedant eſſe particularem, & non ſingularem. ſed nollem profectò ab amico, celebriq; philoſopho hanc reſponſionem eſſe allatam, contradicit.n.ſibi, Balduino, & ueritati, ſibi & Balduino, quippe cũ eo in loco apertiſſimè declarent. eſſe ſingularem, aliũt.n. dixit

hic triangulus i. ſingularis, q mõſtratur pronoĩe hoc, qa capit de ſubĩa, hoc aliqd uerè ſclũ ſingulare ẽ., ut ergo notaret loqui de uero ſingulari, dixit, hic. Rurſus uolẽtes probare ſingulare noſtũ eẽ ad ſenſum ad lucũt Ariſt. hoc in loco, quõ igitur Ari. hic nõ de ſingulari, ſed de particulari uerba facit? Contradicit ẽt ueritati, primò, nam Ariſt. ibi (ut ipſi etiam confitentur) modũ, quo ſingularia, non autem particularia cognoſcantur, indagat. propoſitiones itaq; de quibus loquitur ibi, non particulares, ſed ſingulares eſſe debent. Secundò Porphyrius clariſſimè confitetur pronomina hic, hæc, hoc, non particularia, ſed ſingularia ſignificare, quod perpulchrè Am. eo in loco declarat, qua de re & propoſitiones ex his ſingularibus conſtitutæ, non particulares ſunt, ſed ſingulares, quod conſiderans Auer. non immeritò hanc, hic triangulus habet treis angulos æquales duobus rectis in logicæ epitoma inter ſingulares, & nõ inter particulares cõnumerauit.

In pª. rõne.

cap. de gñe, & de ſpẽ.

Locus ſ¹. notãdi.

ca. de demõſtratione.

Hac igitur pª reſpõſione examinata, qd in 2ª dicãt uideamus.

Secundò deficiunt logicaſtri (aiunt) in hac ratione, perſuadentes ſibi ꝙ Ariſt. eo in loco faciat demonſtrationem; cùm nec ibi, nec alibi in primo Poſt. Ariſt. demonſtrarit. Sed ſiue Ariſt. demonſtret, ſiue non, minimè curamus cùm in iſto ratio non conſiſtat, ſed ĩ hoc, ꝙ ſcilicet ibi fiat ſyllogiſmus, cuius minor eſt ſingularis. Quòd uerò huiuſmodi ſyllogiſmum eo in contextu ordiatur Ariſt. clariſſimè in Paraphr. confitetur Auer. dum dicit, nonnullorum uerò cognitio prouenit nobis per ſenſum à principio, & doctrina eorum ſimul eſt, ſunt autem hæc particularia, quæ non ſenſimus, quæq; reponuntur ſub uniuerſalibus, quæ cognouimus: exemplum, ſi cognoſcamus, ꝙ omnis trianguli ſunt æquales duobus rectis, et nõ cognoſcamus ꝙ iſte triangulus, quẽ

ſecũda. reſ.

Impugnatio

deſignaſti in abaco, & abſcondiſti: eſt ſecundum iſtam diſpoſitionem, quem poſteaq; diſcooperuiſti, per ſe primus per ſenſum quòd eſt triangulus; & per cognitionem rei uniuerſalis peruenit ad nos quòd anguli ipſius ſunt æquales duobus rectis, igitur propoſitio minor in hac cognitione prouenit nobis per ſenſum, quæ eſt, quòd iſte eſt triangulus, concluſio autē quòd iſtius trianguli anguli ſunt æquales duobus rectis, peruenit ad nos ex propoſitiōe maiori, quā cognoſcebamus à prin° rei, cū fuit applicita propoſitioni prouenientē ex ſenſu, quæ eſt minor. Cū itaq; neutra reſponſio ſatisfacit, rō & ſi non demōſtret, adhuc tamē eſt inſoluta.

QVINTA RATIO:

QVINTO, *Arguere ſoliti ſumus ex* Auer. *authoritate primo* Poſt. *aſſerentis, ſingularia bifariam conſiderari poſſe, uno quidem modo quoad eorum exiſtentiam, alio uerò quoad attributa, ſeu prædicata. ſi primo modo conſiderentur, ſenſu (inquit) & non ſyllogiſmo cognoſcuntur.* Si uerò *ſecundo, ſyllogiſmo comprehenduntur, ſingulare itaq; huiuſmodi ſyllogiſmos ingredietur, atq; minoris locum ſibi uendicabit.* Huic *obiectioni triplicem reſponſionem aſſignant. ut autem earum robur clarè pateſiat, ſingillatim eas examinemus.* 4°.

Inquiunt Auerroem hoc in loco erraſſe, cùm primo Priorū *fateatur propoſitiones ſingulares nō ingredi ſyllogiſmū ibi deſinitum. Peritiſſimus ſanè reſpondendi modus, quo ſi uti liceret, quiuis totam ferè horum doctrinam (cum in Auerr. placitis ut plurimum fundetur) facile poſſet euertere.* Accedit ad hoc, *quòd mendacium dicunt expreſſum,* Auerroem *ſcilicet in libro* Priorum *huius oppoſitum confeſſum eſſe, quòd ſcilicet ſingularia ſyllogiſmum ibi definitum non ingrediuntur. Ad-*

p^a. figa.

Impugnatio

datur his, quòd inferius ſingulares ſyllogiſmum ingredi poſſe Ariſtotelem concedere luce clarius ſumus oſtenſuri, ꝙ ſi in hoc Auer. negant, & Ariſtotelem etiam in hoc eodem negare cogentur.

2ª. *fuga.* *Secundò reſpondent, aliud eſſe ſingularia quoad eorum attributa cognoſci ſyllogiſmo, aliud uerò, ſingularium attributa cognoſci ſyllogiſmo. modo non primum, ſed ſecundum formaliter dicit Auer.*

Impugnatio *Friuola profectò reſponſio, nam ſi quæramus ab Auer. quomodo intelligitur, ſingularia quoad exiſtentiam ſenſu cognoſci, eorum uerò attributa ſyllogiſmo? Reſpondet ſi quis nobis detegeret aliquem triangulum deſcriptum in hoc ſenſato circulo, quem priùs non nouimus eſſe, per hanc detectionem ipſum eſſe triangulum adipiſcimur ſenſu, eius uerò angulos eſſe duobus rectis æquales, aduenit ex uniuerſali propoſitione, quæ eſt ꝙ omnis trianguli ſunt talis diſpoſitionis, nec abſolutè, ſed (ut in paraphaſi dicebat) cũ hæc maior applicata fuerit minori prouenienti ex ſenſu, quæ eſt, ꝙ iſte eſt triangulus, ex his enim de ſingulari attributum colligimus per ſyllogiſmum, utputa ꝙ hic habet treis angulos æquales duobus rectis. En igitur Auerr. dicentem ſingularium attributa ſyllogiſmo cognoſci, ſe ipſum declaraſſe, ꝙ ſcilicet talia non de alijs, ſed de ipſis ſingularibus ſyllogiſmo cognoſcuntur.*

3ª. *fuga.* *Tertiam reſponſionem (& longè meliorem ut aiunt) aſſignant, ꝙ Auer. per ſyllogiſmum intellexit omnem argumentationis ſpeciem, ut inductionem, exemplũ, enthymema, & ſyllogiſmum. modo ſingularem propoſitionem inductioni, exemplo, & enthymemati deſeruire ſuperius etiam à nobis fuit admiſſum, nihil itaq; (dicunt) aduerſus noſtrã determinationem, ſi hoc modo intelligatur, profert Auer. Sed bone Deus.*

Impugnatio. *His nonne poſſet obijcere quis, ſi Auer. aſſerens ſingula-*

ria quoad eorum attributa ſyllogiſmo cognoſci,per ſyllogiſmū (ut uobis placet) omnem argumentationis ſpeciem intelligit,et ſyllogiſmum,quomodo ex Auer.*uerbis hic ſingularem ſyllogiſmum ingredi non colligetur?* Nos *tamen aliјs huiuſmodi captiunculas relinquentes (non enim ſuperficietenus uerba, ſed medullitus uerborum ſenſus perſcrutamur) dicimus, ꝙ ne quicq̄ laqueū,quo aſtricti ſunt,hoc modo conterere conantur,nā* Auer. *pate faciens quo modo ſingularia quoad eorum attributa ſyllogiſmo noſcantur (ut ſuperius declarauimus) dicit.ꝙ hoc fit,cū maior uniuerſalis,ut hæc,omnis triangulus habet treis angulos æquales duobus rectis,applicatur minori prouenienti ex ſenſu, ut huic,hic eſt triangulus,tunc enim ex his,hunc habere treis angulos æquales duobus rectis concludimus. modo huiuſmodi argumentationem non inductionem,non exemplum, non enthymema,ſed primæ figuræ ſyllogiſmum eſſe quiuis ſani capitis animaduertet.Cùm igitur nulla trium ſolutionū ſit efficax,* Auer. *autoritas dato ꝙ non cogeret,nondum tamen eſt ſoluta.*

SEXTA RATIO.

Sexto, Auer.*primo* Poſte.*inquit,declaratum eſſe,quòd ſi concluſio eſt particularis,altera propoſitio neceſſariò debet eſſe* 6 3 *partacularis,quæ in prima & ſecunda minor,in tertia uerò utra uis eſſe poteſt,ut in lib.* Prio.*eſt declaratum.Quòd ſi quis obјiciat contrà,nam in primo,& ſecundo tertiæ concluſio eſt particularis,neutra propoſitionum exiſtēte particulari, reſpondet, ꝙ per particulare intelligit indiuiduum ſingulare,non autem id, quod ſignificat nota particularis,non enim poſſibile eſt concluſionem eſſe ſingularem,neutra propoſitionum exiſtente ſingulari,modo ſi ſingulare ſyllogiſmum ingredi nequit, quomodo*

hæc Auer. uerba ueritatem haberent?

SEPTIMA RATIO.

In prin°. SEPTIMO, Auer. in Epitoma logices (qua ſermones neceſſarios in rationali facultate colligere pollicitus eſt) nec dum ſingularem ſyllogiſmum ingredi, ſed etiam quo modo ex

cap. de p^a. figura. una uniuerſali & alia ſingulari diuerſarum materierũ mixtus ſyllogiſmus fieri poſſit longiſſimis quidẽ uerbis declarauit dũ dixit, cæterùm ſpeciebus mixtis ex iſtis materijs non utitur artifex theoricus, ſed ſolũ artes operatiuæ, eo ꝙ accipiunt adiu-

Locus 14 notandi. mentum à diſpoſitione indiuiduorum, & propterea ipſæ utuntur ſpeciebus mixtionis, in qua minor eſt inexiſtens ſingularis, aut poſſibilis. exemplum illius, cuius minor eſt inexiſtens & maior neceſſaria, iſte ægrotans habet febrem & tuſſim, & dolorẽ affixum lateri ſuo ſimplicem, & diuerſitatem, quicunq; autem eſt ita diſpoſitus habet apoſtema, concluſio, iſte igitur ægrotans habet apoſtema. exemplũ illius, cuius minor eſt poſſibilis ut plurimùm, & maior neceſſaria, iſte ægrotans habet dolorem capitis cõtinuum, & partem ſenſibilem deſcenſus aquæ in oculum, quicunq; autem habet deſcenſum aquæ in oculum ita ſe habet, ꝙ eius uiſus corrũpitur, concluſio, poſſibile igitur eſt ut huic ægrotanti corrumpatur uiſus. exemplum illius, cuius minor eſt inexiſtens, & maior poſſibilis ut plurimũ, iſte ægrotans habet febrẽ calidam, acutam, & uidetur urina ſua in die critico in paroxyſmo alba abſq; tinctura notabili, quicunq; autem ita eſt diſpoſitus patitur innouationẽ apoſtematis in cerebro, concluſio, igitur iſte ægrotans patitur innouationem apoſtematis in cerebro.

Et non ſolùm in prima, ſed etiã in ſecunda figura hoc idẽ fieri patefecit, cùm aſſeruit, ſed in hac figura in artibus operatiuis

tuis fiunt etiam complicationes, quarum minor eſt inexiſtens ſingularis, aut poſſibilis, exemplum illius, cuius minor eſt inexiſtens ſingularis, & maior neceſſaria, nullus ægrotans febre putrida caret oppilatione, iſte ægrotat febre putrida, concluſio eſt, ergo non caret oppilatione, hoc autem per conuerſionem ſecundum quod prædiximus. exemplum eius, cuius minor eſt inexiſtens, & maior poſſibilis, iſte ægrotans habet permixtionem intellectus, & uidetur ſibi ꝙ habeat pilos ſupra pannos ſuos, et colligit ipſos, nullus autem habens cerebrum illeſum ab apoſtematibus diſponitur hac diſpoſitione, & concluditur per conuerſionem negatiuè; iſte ægrotans non habet cerebrum illeſum ab apoſtematibus. exemplum uerò illius cuius minor eſt poſſibilis, & maior neceſſaria, hic ægrotans continuauit ſolem in tempore æſtatis cum hoc ꝙ cerebrum ſuum erat calidum ſecundũ complexionem, comprehenditur ab iſtantia uigiliarum, & nullus lethargus corripitur ab inſtantia uigiliarum, concluſio fieri non poteſt ut æger iſte ſit lethargus. & hoc conſimiliter per conuerſionem uniuerſalis negatiuæ. Alia trãſlatio legit affirmatiuè.

Verùm ab hac autoritate dupliciter quis aufugere tentabit, primò dicendo ꝙ huiuſmodi ſyllogiſmi ſunt improbãdi cũ multoties plures contrarias concluſiones concludant, ut ibidẽ inquit Auer. Secundò affirmando ꝙ hoc ſolùm probat ſingulare ingredi ſyllogiſmum, quo utuntur artes operatiuæ, quod nõ eſt ad propoſitum, cùm negetur ſingulare ingredi ſyllogiſmum, de quo loquitur Ariſt. in lib. Prio. qui eſt deſeruiens ſolũ artibus ſpeculatiuis. Prima fuga Auerr. falſum imponit, non enim dicit huiuſmodi ſyllogiſmos contrarias concluſiones inferre, ſed regulatas per dictum de omni, atq; eſſe terminatas, quod eius ſyllo-

pª. fuga.

cap. de priª. figura.

2ª fuga

pª. Impugª.

pima Prio. giſmi munus eſſe, qui in lib. Prio. declaratur alibi confeſſus eſt)
5°. ait enim, atqui concluſiones iſtæ determinatæ manifeſtè conſi-
militer fiunt per diſpoſitionem dicti de omni, ſed modus conclu-
ſionis in ipſis ſequitur propoſitionem maiorẽ ſecundum conſe-
quentiam diſpoſitionis dicti de omni { non abſolutè; & indiſ-
ferenter, ſed } quãdo obſeruatum fuerit in ipſo id de quo men-
tionem fecimus, & fuerit materia diſpoſita ſecundũ diſpoſitio-
nem propriam: ſubdit poſtea, ꝙ accidit quandoq; in quibuſdam
materijs ut concludant concluſiones multimodas, & præſertim
cùm fuerit maior neceſſaria, aut inexiſtens & minor poſſibi-
lis, cuius exemplum poſuimus. quod quidem (ne ſuperioribus
contradicat) tunc accidere arbitramur, cùm materia non fuerit
diſpoſita ſecundum diſpoſitionem propriam. at cùm fuerit di-
ſpoſitione propria diſpoſita, uerbi gratia ut maior ſit neceſſa-
ria, minor autem inexiſtens, nulli dubiũ, ex exemplis etiã ipſis,
ꝙ ſemper determinata concluſio, ac etiam per dictũ de omni re-
2. impug°. gulata ſequetur. Secũda uerò fiiga dupliciter impugnari poteſt,
Primò inquit huiuſmodi ſyllogiſmos non contineri ſub ſyllogiſ-
mo, de quo Ariſt. loquitur in libr. Prio. contrà, nam cùm Auerr.
hic definiſſet ſyllogiſmum eo modo, quo Ariſt. illum diuiſit in
treis ſpecies, ſeu figuras, primam uerò & ſecũdam in partiales
modos diſſecans, hos ſyllogiſmos declarauit, cùm itaq; hi ſyllogiſ-
mi contineantur ſub figura prima & ſecunda, illæ uerò ſub
ſyllogiſmo ab Ariſt. definito, & hi ſub eodem etiam contine-
buntur. Secundò ſyllogiſmum de quo loquitur Ariſt. in lib. Prio.
nõ ſolũ artibus theoricis deſeruire (ut fingebatur) ſed quibuſcun-
cap. 12. cir- q; indifferenter, etiam artibus augurandi, atq; execrandi primo
ca dimidiũ. Prio. clarè teſtatur Auer.

RATIO OCTAVA.

In prin°. ca. de demõſtr.

OCTAVO Argumentor ſic. Auer. in Epitoma logices definiens demonſtrationem, dicit quod eſt ſyllogiſmus ex duabus propoſitionibus ueris, uniuerſalibus, neceſſarijs, per ſe, & declarans cur appoſita eſt particula { uniuerſalibus } inquit ut excludatur particulare, quod nedum eſt cum ſigno particulari, ut aliquod animal eſt rationale, ſed etiam ſingulare, ut hic triãgulus habet treis. Tunc ſic, Ariſt. 6°. Topic. ait ꝙ genus poſitum in definitione ſeparat rem definitam ab his quæ ſunt alterius generis, differentia uerò ab his, quæ ſub eodem genere cõtinentur. à demonſtratione igitur per hoc ꝙ eſt ſyllogiſmus, excluditur quæcunq; oratio non eſt ſyllogiſmus, ſi per te oratio confecta ex una uniuerſali & altera ſingulari non eſt ſyllogiſmus, igitur à demonſtratione ſeparabitur, per hoc quòd demonſtratio eſt ſyllogiſmus. ſed hoc eſt falſum, nam Auer. ait ꝙ per dictionem { uniuerſalibus } excluditur oratio confecta ex ſingulari, quæ per Ariſt. debet contineri ſub genere { ſyllogiſmus } datur igitur aliqua oratio confecta ex ſingulari, quæ eſt ſyllogiſmus, quæ à demonſtratione ſecernitur per hoc ꝙ demonſtratio eſt ſyllogiſmus ex uniuerſalibus.

cap. 2°, loco 12.

RATIO NONA.

cap. 4.

NONO, Ariſt. in libello de Animalium motu declarãs, quomodo practicus intellectus ſyllogizet, apertiſſimè affirmat ꝙ talis ſyllogiſmi maior debet eſſe uniuerſalis, minor autem ſingularis, ex quibus ſingularis concluſio (quæ operatio eſt) exoritur, ut cũ intellexerit ꝙ omni homini ſit ambulandũ, ipſe autem ꝙ ſit homo, ambulat confeſtim. ſi autem quòd nulli homini nunc ambulandum ſit, ipſe autem ꝙ ſit homo, ſtatim

quieſcit Hoc iddem etiam (obſcurioribus tamen uerbis) iuxtà
33. et 34. Simplicij expoſitionem in tertio de anima referre uidetur cùm diſcrimen inter intellectum practicum, & ſpeculatiuum aſſignat.

DECIMA RATIO.

cap 5. ſecūdū diuiſionē Auer. DECIMO, ſingularem ſyllogiſmum ingredi in 7°. Ethyc Auer. Aſpaſius, & Ariſt. adeò clarè confitētur, quò l oppoſitum affirmare, mera eſt inſania, aiunt. n. ꝙ in continentiæ electione ſyllogiſmus confici debet ex maiori uniuerſali, & minori ſingulari, quam ſi quis ſub uniuerſali nō ordinaret, facilè decipi poſſet, ut omne dulce guſtandum, hoc dulce, hoc igi-
Locus 10ⁱ. notandi. tur guſtandum. addatur quod non ſolùm iu practicis, ſed etim in ſpeculatiuis hæc combinatio poſſibilis eſt, ait enim Auer. ꝙ quo-
Ibidem. ties uniuerſalis & ſingularis ſyllogiſticè coniunguntur, in ſpeculatiuis neceſſe eſt fieri concluſionem, in operatiuis uerò operari non prohibitum.

VNDECIMA ET VLTIMA RATIO.

160. VLTIMO, Ariſt. p°. Poſt. duplicem demonſtrationē eſſe confitetur, uniuerſalē & particularē, ſi uerò quæramus ab Auer. quidnam intelligat Ariſto. per particularem, reſpondet ꝙ intelligit ſingularem & non ſignatam ſigno particulari. demonſtrationem igitur ex ſingulari propoſitione conſti-
Fuga. tutam Ariſt. & Auer. concedere uidentur. Vt ad hoc reſpondeāt aſſumunt unum, ꝙ cùm ſingulare quādoq; uerum ſingulare ſignificet, quādoq; uerò minus uniuerſale, hinc ſingularis demonſtratio dupliciter. intelligi poteſt, uel quæ ſit de uero ſingulari,

uel de minus uniuerſali, tunc inquiũt ꝙ Ariſt. & Auer. per demonſtrationem particularem, ſeu ſingularem intelligunt confectam ex termino minus uniuerſali, quærit enim Ariſtoteles nũquid demonſtratio uniuerſalis, ideſt demonſtrans paſſionem de uniuerſali & conuertibili ſubiecto (quo in ſenſu uniuerſale primo Poſteriorum declaratur) potior ſit demonſtratione ſingulari ideſt minus uniuerſali, quæ eamdem paſſionem de ſubiecto minus uniuerſali demonſtrat ut, nunquid demonſtratio probans animal eſſe ſenſibile potior ſit demonſtratione, quæ ſenſibilitatem de homine declarat. modo ſi per demonſtrationem ſingularem intellexiſſent ex uero ſingulari conſtitutam, clarum quòd ratio concluderet. Verùm contra hanc reſponſionem tripliciter inſto probando ꝙ per demonſtrationem ſingularem nõ ſolùm intelligit Ariſt. minus uniuerſalẽ, ſed etiam ex uero ſingulari conflatam, & primò ſic, Ariſt. adducens tertiam rationem probantem ſingularem eſſe potiorem, arguit tali pacto. in quibus minus erroris, potior, & certior demonſtratio, in ſingularibus minus erroris, ergo. probat minorem Themiſtius dicens, quia ſingularia uſurpantur uiſu, & quaſi manutenentur, modò hoc non de minus uniuerſelibus, ſed de ueris ſingularibus uerificatur. Amplius, Ariſtoteles reſpondens ſecundæ rationi, qua probatur, ſingularem eſſe potiorem, quia uniuerſalia non ſunt, inquit quòd falſum eſt uniuerſalia non eſſe, quinimò magis entia ſunt, quàm ſingularia, quippecum illa ſint æterna, hæc uerò generẽtur, & corrumpantur, modò hoc non niſi de ueris ſingularibus intelligi poteſt. Demum argumentatur uniuerſalem eſſe potiorem ſingulari, quia illa per intellectum, hæc uerò per ſenſum, quod minus uniuerſali coaptari

[Margin: 35. — Impug. — prima. 163. — cap. 40. — ſecunda. 164. — tertia. 170.]

nequit. Quòd ſi quis his obiectionibus reſpondere conetur Ariſtotelem exponendo eo modo, quo ſubtiles quidam iamdiu exposuerunt, hic neceſſariò cogetur confiteri demonſtrantem hãc, homo eſt animal, potiorem eſſe, quàm illa, quæ, ſenſibilitatem de animali, cõcludit. Hæ ſunt rõnes, qbus noſtra opinio ſaltim probabiliter munitur, conſequẽs iam eſt ut rationes, quæ oppoſitum ſuadere uidentur, ſingillatim adducendo diſſoluamus.

TERTIA PARS.

Prima Balduini ratio.

CVM Inter eos qui præoſtenſæ opinioni aduerſantur, quàm Balduinus ſubtilius ſcripſerit nemo, cumq; nebulones quidam huius rationibus induti. Contra nos obloqui nõ deſiſtant, non immeritò primò ipſius obiectiones perlibrare conſtituimus. Eſt autem prima huius ratio (quam demonſtratiuam dicunt) à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis tali pacto. Si ſingulare ingrederetur ſyllogiſmum, ſingularis poſſet eſſe cõcluſio ſyllogiſmi, probatur conſequentia, quia Ariſtoteles docuit primo Prio. concluſionẽ atteſtari præmiſſis, itaq; Locus 11. ſi præmiſſa eſt particularis, & concluſio erit particularis, & notandi. ſi præmiſſa neceſſaria, concluſio neceſſaria, & ſi una præmiſſarum eſt ſingularis, concluſio quoq; erit ſingularis, ſed conſequens eſt falſum, quòd. ſ. ſingularis poſſit eſſe concluſio ſyllogiſmi, ergo & antecedens, quod eſt ſingulare ſyllogiſmum ingredi. falſitatem conſequentis probant hoc modo, concluſio ſyllo

giſmi eſt naturaliter ignota, ſingularis non eſt naturaliter igno
ta, ergo ſingularis non poteſt eſſe concluſio ſyllogiſmi, minorem
probant, nam cum primo Poſt. ſit nota ad ſenſum nõ poteſt eſſe 4.
naturaliter ignota, Ariſt. n. p°. Top. negat nota ad ſenſum topi= Cap 9.
cò ſyllogiſmo poſſe concludi, quia non ſunt ignota, minorem ue
rò declarant, quia Auer. in quæſito De ſyllogiſmo hypotetico, et
p°. Poſt. p°. & 2°. Poſt. 25°. & 2°. Prio. 23°. declarauit ꝙ cõ
cluſio ſyllogiſmi debet eſſe neceſſariò naturaliter ignota, &
Auer. in Paraphraſi dicit ꝙ per hanc conditionem differt ſyllo
giſmus ab alijs tribus ſpeciebus argumentationis. hoc quoq; pro= Locus. 12.
tulit Philoponus in expoſitione ſyllogiſmi. p°. Prio. ꝙ .ſ. conclu= notandi.
ſio ſit naturaliter ignota, hoc ēt probatur per illud uerbũ, aliud,
poſitum in definitione ſyllogiſmi, nam ly aliud dicit differentiã
eſſentialem, itaꝙ Ariſt. uoluit dicere ꝙ cõcluſio eſt aliud quid= Locus 13.
dam à præmiſſis, quoniam præmiſſæ debent eſſe naturaliter no= notandi.
tæ, & concluſio naturaliter ignota.

Reſponſio.

NOS uerò huic obiectioni reſpondentes dicimus ꝙ ſicut
conſequentiam concedimus, ſic conſequentis falſitatem inficias
imus, ad probationem, quærimus, minor illa, ſingularis nõ eſt na=
turaliter ignota, quo modo intelligitur, uniuerſaliter, aut particu=
lariter? ſi ſecundũ proferent intentum non habebũt, cõcludēt. n.
ergo aliqua ſingularis non eſt concluſio ſyllogiſmi, quod nos ēt
concedimus. Si uerò primum dicent, eam falſiſſimã arbitramur.
ſuperius. n. q; plura ſingularia quò adſi, quia, & propter quid
naturaliter ignota eſſe demonſtrauimus. Ad autoritatem, aſſeri=
mus ꝙ Ariſt. ſingularia quædam, nõ tamen omnia ſenſu cognoſ
ſci confeſſus eſt.

SECVNDO Arguunt ſic, ſyllogiſmus qui facit coſgnoſcere ea quæ ſunt in arte, conſtat ex uniuerſalibus, & non ex ſingularibus. ſyllogiſmus conſideratus ab Ariſ. eſt ille qui facit cognoſcere ea quæ ſunt in arte, ergo ſyllogiſmus conſideratus ab Ariſto. conficitur ex propoſitionibus uniuerſalibus, non autem ſingularibus. maiorem probant, nam cum ars ſit uniuerſalium cognitio, & non ſingulariũ (ſperri in ea uelut corruptibilia, & infinita) clarum quidem erit, ꝙ ſyllogiſmus conſiderans ea quæ ſunt in arte, ex ſingularibus non conſtituetur, minorem uerò ab Auerroe pluribus in locis declaratam affirmant, determinatum tamen locum nullũ oſtendunt.

Ex procæmio Metha.

Reſponſio.

NOS Autem, ut dilucide huic obiectioni ſatis faciamus, quærimus ab eis quomodo minorem intelligunt, an ſic? ſyllogiſmus conſideratus ab Ariſt. facit cognoſcere ea quæ ſunt in arte. i ſolũ ad ea ſe extendit, ex quibus eſſentialiter conficitur ars, cuiuſmodi ſunt regulæ, & propoſitiones uniuerſales; ut in medicina hic ſyllogiſmus, cuicunq; habenti humores inæquales, ſunt æquandi humores, omnis febricitans habet humores inæquales, facit cognoſcere concluſionem & regulam neceſſariam ad cõſtitutionem artis. ſ. omni febricitanti humores ſunt æquandi. Vel potius intelligunt ſic? Syllogiſmus, conſideratus ab Ariſto. facit cognoſcere ea quæ ſunt in arte neceſſaria, nedum ad ſui conſtitutionem, ſed etiam ad ſui rectum uſum, & applicationem, quod quidem ſingularibus neglectis fieri nequit, ut puta quando medicus uolens artificialiter deſcendere ad praxim accipit regulam uniuerſalem, & eſſentialem arti loco maioris, ut eſt illa

cuicunq;

cuicunq; febricitanti ſunt æquandi humores, & huic ſubdit minorem, Socrates febricitat, tunc concludit rectum, & artificialem uſum artis dicens, ergo Socrati ſunt æquandi humores. Si primo modo eam ſe intelligere dicent, & nos eam falſiſſimam eſſe aſſeuerabimus, non.n. docet Ariſt. ſolum inſtrumenta artificialia.i. quæ regulas, & propoſitiones artis conſtitueńdæ deſeruientes tantum declarant. Sed docet inſtrumenta artificialia.i. quæ, & propoſitiones, & regulas artium conſtitutioni deſeruientes patefaciunt, & artium recto uſui, & ſecundum artem applicationi ſubminiſtrant, ſicut ſyllogiſmos ex ſingularibus conſtructos, nedum operatiuis ex Auerroe, ſed etiam moralibus ſummè neceſſarios, ex eodem, Aſpaſio, & Ariſto ſuperius demonſtrauimus. ſecus.n. nec exemplum, nec enthymema ex ſingulari conſtitutum Ariſt. declarare debuiſſet. Quòd ſi eam ſecundò modo intelligendam aſſeuerabunt, & nos maiorem falſam eſſe dicemus. Eſto enim q Ariſt. neget artem ſingularia cõtemplari quatenus ex eis ſingulares propoſitiones ad ſui conſtitutionem minimè deſumit, non tamen ob hoc inficias it, artium rectum, & artificialem uſum, per ſyllogiſmos ex minoribus ſingularibus conſtitutos mediante practico intellectu ſuper ſingularia exerceri.

Tertius Balduini aculeus.

TERTIO Arguunt ſic. Ariſt. ſyllogiſmorum conſtructioné declarãs dixit, indefinitam poni pro particulari, itaq; iddem eſt ponere particularem, & indefinitam rationem aſſignat Ariſt quia idẽ erit ſyllogiſmus ex indefinito, & particulari, & nullam prorſus mentionem facit de propoſitione ſingulari. ſignum igitur eſt & demonſtratiuum, ſingulare ſyllogiſ-

mum non ingredi, nam ſi ingrederetur, procul dubio Ariſto. dixiſſet ꝙ ſyllogiſmus non tantum confici poteſt ex indefinitis, & particularibus, ſed etiam ex ſingularibus propoſitionibus.

Quarta obiectio, quæ tamen in Balduino expreſsè non inuenitur.

cap. p°. QVARTO obiecerat, Ariſt. primo Priorum definit propoſitionem & eam diuidit in treis dumtaxat ſpecies .ſ. in uniuerſalem, particularem, & indefinitam, & non meminit de propoſitione ſingulari, ergo ſignum eſt ꝙ propoſitio ſingularis nõ poteſt eẽ pars ſyllogiſmi, nã ſi ex ea cõponeretur ſyllogiſmus, utiqꝫ eã, numeraſſet, et aſſignaſſet Ariſt.

Ad tertiam & quartam Reſponſio prima.

VT His obiectionibus clariſſimè ſatisfiat, illud, quidem annotare uolumus, quòd Ariſt. declarans propoſitionem indefinitam dixit, eam eſſe quæ ſignificat ſine uniuerſali, aut particulari. i. quæ ſignificat prædicatum in eſſe, aut non in eſſe ſubiecto, nec uniuerſali, nec particulari ſigno determinato. Et Auer. dicit, indefinitam eſſe cui penitus ſæpi mentum. i. ſignum non annectitur, nec uniuerſale, nec particulare, modo per orationem affirmatiuam, uel negatiuam ſine ſigno uniuerſali, & particulari, duas enuntiationis ſpecies intelligere poſſumus, & eã quæ eſt ex ſubiecto uniuerſali, ut homo currit, in qua quidẽ ſpecie Ariſto. exemplificat, & eam quæ eſt ex ſubiecto ſingulari, ut Socrates currit; neutra enim ex ſubiecto, ſigno uniuerſali, uel particulari determinato conſtituitur. Quo ſic declarato, reſpondetur ꝙ obiectiones ſupponunt falſum, ſupponunt enim Ariſto. nec in diuiſione ſingularem declaraſſe, nec conſectione ſyllogiſmorum oſtendiſſe quo modo ex ſingularibus

ſyllogiſmi conficiantur. quod quidem falſum eſſe dicemus ſub indefinitæ ſi quidem nomine Ariſtotelis, & ueram indefinitam, & ſingularem, uelut ſub genere complexus eſt. qua de re cùm in diuiſione indefinitam declarauit, & propriè indefinitam, & ſingularem patefecit. Vtriq; enim competit eſſe ex ſubiecto nec uniuerſali, nec particulari ſigno determinato. Cumq; ſyllogiſmos ex indefinitis uelutı ex particularibus conſtrui dixit, ex iam dictis eſt manifeſtum, quòd nedum ſyllogiſmorum confectionem ex ueris indefinitis, ſed etiam ex ſingularibus intellexit. Licet in altera in definitorum ſpecie hoc exemplariter patefaciat. ſed obſtrepunt contra, oſtenſum eſt ſingularem non ingredi ſyllogiſmum, qua de re dicendum Ariſtotelem loquentem de propoſitione ſyllogiſtica, nullo modo eam numeraſſe, nec formaliter, nec reductiuè. Obiectio ſanè eorum ingenio digna, ſingularem ſyllogiſmum non ingredi, ex hoc probare conantur; quia eius non meminit Ariſtoteles, reſpondentibus uerò Ariſtotelem ſub indefinita eam comprehendiſſe, obijciunt, probatum eſt non ingredi ſyllogiſmum, ergo ſub aliqua eam comprehendere non potuit. Sed præter hanc obiectionem duas alias maioris apparentis aduerſus aſſignatam reſponſionem in medium ferunt: quarum prima eſt Ariſtotelis primo Elenchorum dixit, quòd propoſitio indefinita non fundat contradictionem, id eſt duæ indefinitæ, quarum una eſt affirmatiua, alia negatiua, non contradicunt: ſingularis uerò fundat contradictionem, ergo cùm ſint duæ ſpecies diſtinctæ, una non poteſt contineri ſub alia, nec ad eam reduci. Secundò eorum quæ differunt ratione & definitione, unum non poteſt reduci ad alterum, nec etiam contine-

Obiectio.

Reſponſio.

Locus 14'. notandi.

Obiectio pª

cap. de Elencho.

Obiectio 2ª

ri ſub eo,ſed ſingularis & indefinita differunt ratione & de-
finitione,ergo ſingularis ad indefinitam reduci minime. poteſt,
Reſponſio. *nec ſub ea contineri. Ad hac reſponſio facilis erit,ſi prius quod*
p°. Top. 3°. *aliàs à nobis fuit explicatum in medium adducetur: Ariſtotelea*
ſcilicet regulam eſſe, q quoties aliquid in plura diſtribuitur, ſi
pars aliqua proprium nomen non habet,totius appellationē deſu
cap. de qua- *mit : quod etiam Ammonius in prædicamentis de diſpoſitione ;*
litate. *& Philoponus de ſuppoſitione primo Poſt. factum eſſe, confi-*
7. 44. *tetur. Clarum exemplum habemus ab Ariſt. primo Top. pro-*
3. *prium duplex,terminus & non terminus,quod nō terminus eſt,*
cū peculiare nomen non habeat,communis nominis.i. proprij ap-
pellationem retinuit . Ad propoſitum cū propoſitio indefinita i.
nullo ſigno determinata duplex ſit,quædam.n. habet ſubiectum
ſingulare,quædam uerò uniuerſale: prima proprio nomine ſin-
gularis nuncupatur,altera uerò quæ ſubiectum habet uniuerſa-
le,cū proprio pronomine careat,indefinita (generis nomen de-
Ad primā. *ſumens) appellitatur. Quo declarato faciliter reſpondetur. Ad*
primam,dicimus q Ariſt.dicens , indefinitam non fundare con-
tradictionem,loquitur de indefinita quæ eſt ſpecies appellata no
mine generis, quæ ab ipſa ſingulari eſt contradiuiſa: & ſic ar-
gumentum concludit , q ſingularis ſub tali indefinita compre-
hendi non poteſt,nec ſub eam reduci. reſponſio tamen dicit, ſin
gularem ſub ea indefinita comprehēdi (uelut homo ſub anima-
li) quæ genus eſt & ſingularis, & alterius ſpeciei à ſingula-
ri diſtinctæ, quæ generis nomine etiam indefinita nuncupatur.
Ad ſecūdā. *Ad ſecundam haud diſſimilis eſt reſponſio,cum.n. alia ſit ſpe-*
cifica definitio ſingularis, & alia eius indefinita,quæ à ſingu-
lari eſt contra diuiſa,concedimus ſingularem ſub hanc indefi-

nitam minimè reduci; reſponſio tamen uult ꝙ ſingularis ad indiffinitam, quæ utriuſq; genus eſt, uelut ad ſuum ſuperius, contrahatur.

Ad tertiam & quartam Reſponſio ſecunda.

SEcundò ad duas obiectiones principales dicere poſſumus, ꝙ Ariſt. tum in propoſitionis diuiſione, tum in ſyllogiſmorum confectione, breuitati ſtudens ex intento ſingularem omiſit, nam cum eius intentio ſit loqui de propoſitionum ſpeciebus quatenus ex eis diuerſi reſultant ſyllogiſmorum modi, & ſingularis non diuerſum conficiat ſyllogiſmi modum ab ipſa particulari, ſemper. n ſyllogiſmorum confectionem eodem paſſu ingreditur, quo & particularis, dico ꝙ non immeritò eã Ariſt. uelut cum particulari coordinatam omiſit. Sed obijcies primò, nam eadem ratione & indefinitam omittere debebat, cũ ex indefinito & particulari (ipſo etiam Ariſt. teſte) idem fiat ſyllogiſmus. Secundò Ariſt. primo Top. omiſit differentiam uelut coordinatam cũ genere, & tamen commonefecit nos, eam ideo omiſſam, quia eſt cũ genere coordinata: à ſimili ſi per te Ariſt. omittat ſingularem, quia cum particulari coordinatur, ergo debuit nos commonefacere ideo eſſe omiſſam, ſicut de differentia fecit. ſed hoc ab ipſo non eſt factum, ſignum igitur euidentiſſimum, ꝙ non omittatur quia coordinatur cum particulari, ſed potius quia non ingreditur ſyllogiſmum. Pro reſponſione ad primum annotamus quòd indefinita maximam conformitatem habet cum uniuerſali, primò nam eſt indifferens fundamentum, & ad particularem, & ad uniuerſalem. ſecundò quia dum habet articulum præpoſitum æquipollet uniuerſali, ut Græci expoſitores arbitrantur. ſingularis uerò cum uniuerſali nullum commercium habet, quinimmo

Obiectio prima.

2ª.

Reſpõſio ad primã.

Locus is no. e

*maniſeſtè uidetur accidere ad naturam particularis. hoc anno-
tato reſpondemus, eſto quòd idem fiat ſyllogiſmus ex inde-
finita, & particulari, ſicut ex ſingulari, & particulari:
quia tamen indefinita affinis eſt ipſi uniuerſali, ne quis ar-
bitretur ob affinitatem indefinitam coordinari cum uniuerſa-
li, potiusquàm cum particulari, fuit coactus Ariſtoteles eam di-
ſtinctè proferre, atq; declarare quòd cum particulari, & non
cum uniuerſali coordinatur: hoc autem de ipſa ſingulari face-
re non fuit opus, quia cùm nullam conuenientiam habeat cum
uniuerſali, & maximam cum particulari, quiuis cognoſcere
potest quòd cum particulari & non cum uniuerſali eſt coor-
dinanda. Ex his reſponſionem ad ſecundum elicere poſ-
ſumus, quia differentia conuenientiam habet cum proprio,
eo quòd prædicatur in quale ueluti proprium, & maiorem
cum accidenti, nam prædicatur de pluribus differentibus ſpe-
cie in quale, uelut accidẽs, ne quis arbitretur quòd ob prædictas
conformitates cum proprio, uel accidente eſt coordinanda, Ari-
ſtoteles fuit coactus declarare, ꝙ cum genere, & non cum illis
coordinatur: quod non fuit neceſſarium maniſeſtare de ſingu-
lari, cùm nullam (ut ſuperius eſt dictum) habeat conformita-
tem cum uniuerſali, benè autem cum particulari.*

Reſponſio ad ſecundã.

Quintum Balduini obiectum.

QVINTO *Arguunt ſic, ſyllogiſmus qui deſer-
uit arti cognoſcitur ab intellectu, ſingularia non co-
gnoſcuntur ab intellectu, concludendum igitur ſingularia non
ingredi ſyllogiſmum deſeruientem arti. minorem probant Pe-
60. ripateticorum autoritate tùm in ſecundo, tum in tertio de anima,
9. aſſerentium quòd ſingularium eſt ſenſus, uniuerſalium uerò*

ſcientia, uel intellectus.

Reſponſio.

GREGORIVS. Ariminenſis, Gualterus Anglus, Prima.
& quicunq; alij ſingulare per ſe ab intellectu comprehendi ſuſtinent, ſi huic rationi reſpondere uellent, minorem profectò inficias irent. ex autoritatibus uerò in oppoſitum adductis gloſſulis quibuſdam haud omninò obijciẽdis euadere tentarent, quas uelut altiorem contemplationem ſibi uendicantes omittere decreuimus. eoq; libentius quia & tutiores, & minus intricatæ reſponſiones occurrunt. Subtiles autem quidam bononienſes ut Secunda.
Alexander Achillinus primo Phyſicorum & Pamphilus Mon 5°.
tius in quæſito de demonſtratione, pulchram huic obiectioni aſſi dubio ult°.
gnant reſponſionem, dicentes quòd ſingularis propoſitio compoſita ex termino naturaliter ſignificatiuo induidui, non eſt in intellectu, quia ſingulare non habet propriam ſpeciem apud intellectum; ideoq; non eſt pars ſyllogiſmi: ſed propoſitio compoſita ex termino ad placitum ſignificante ſingulare in intellecto poni poteſt; & ſic erit pars inductionis & ſyllogiſmi. formaliter igitur reſpondentes negarent minorem, quia ſingulare ut terminus ad placitum ſignificans poteſt cõprehendi ab intellectu: ad autoritates in oppoſitum, dicerent, uerificari de ſingularibus ut ſunt termini naturaliter ſignificatiui. Qui Tertia.
uerò arbitrantur, ꝙ ĩtellectus quatenus ĩtellectus uniuerſalia apprehẽdit, ut uerò eſt alligatus ſenſui, ꝙ eius miniſterio cognitiõe reflexa etiã ſingularia intelligere põt, minorẽ & inficias irent. ad autoritates in oppoſitum, dicerent, ꝙ teſtantur intellectum ut intellectus eſt cognitione recta ſingularia comprehendere non poſſe, ipſi autem confitentur, ꝙ ſenſus auxilio, cognitione refle-

non

xa ab intellectu intelliguntur. quod quidem ne dum iuniores quiſ-
dam, ſed etiam ex antiquis, Philoponus 3° de anima dixiſſe ui-
9°. detur. Si quis uerò ſingulare nullo pacto ab intellectu percipi
Quarta. contenderet, hic pro reſponſione unum à multis conceſſum deber-
ret annotare, q. ſcilicet operationes non ſunt ipſius animæ, ſed
24°. (anima interueniente) ipſius hominis, quod Ariſt. 2° de anima
64°. confeſſus eſſe uidetur: nõ n. intellectio eſt ipſius intellectus, ſed
hominis utentis intellectu, nec ſyllogizatio ex duabus uniuer-
ſalibus eſt uirtutis intellectiuæ, ſed hominis qui utitur ea: nec in-
ductio eſt ipſius intellectus, ſed hominis utentis ſenſu & intel-
lectu, ſenſu, adducẽdo propoſitiones ſingulares, & intellectu,
concludendo concluſionem uniuerſalem. Eodem etiam modo ſyl-
logizatio ex altera uniuerſali, & altera ſingulari, nõ eſt ipſius
intellectus, ſed hominis utentis ſenſu, & intellectu, ſenſu, circa
minorem & concluſionem, intellectu uerò circa maiorem. Ex
quo annotato reſpondere poſſet, q maior illa aſſerens ſyllogiſ-
mus deſeruiens arti cognoſcitur ab intellectu, ſi intelligitur cum
præciſione, ſolum, eſt interimenda, quia ſyllogiſmus deſeruiens
arti ex duabus uniuerſalibus eſt ſeruiens homini utenti intelle-
ctu, ex altera uerò uniuerſali & altera ſingulari, eſt ſeruiens
homini utenti ſenſu & intellectu.

Sexta & ultima Balduini obiectio.

VLTIMO Obijciunt, propoſitiones uniuerſales ue-
ræ ut nunc uelut hæc, omnis homo eſt albus non ingre-
diuntur ſyllogiſmum, ergo neq; ſingulares. antecedens ne dum
p° priorum eſt Auer. aduerſus Alexandrum diſceptantis, ſed etiam ipſius
14 & nõ Ariſt. hoc luce clarius aſſerentis. conſequentiam deducunt, nam
2° prio. 7°. ſi quæratur ab Auer. cur huiuſmodi uniuerſales ſyllogiſmum
non

non ingrediuntur, aiunt, ꝙ reſpondet, quia ſunt ueræ per acci-
dens & pro præſenti tempore. ob eandem igitur cauſam ſin-
gulares ſyllogiſmum non ingredientur, cùm ſimiliter ſint ueræ
per accidens & pro præſenti tempore, quod inde comprobant; 35. 58.
quia 7°. Diuinorum inquit Ariſt. ꝙ recedentibus ſingularibus
à ſenſu neſcimus an ea ſint.

Reſponſio.

HVIC Reſpondentes negamus conſequentiam, ad proba-
tionem dicimus primò, ꝙ ſi uerũ eſſet quod aiunt, nil aliud con- p°.
cluderent, niſi ꝙ ſingulares ueræ ut nunc non ingrediuntur ſyl-
logiſmum, uelut hæc Socrates currit: non tamen ob hoc debent
inferre, ergo nulla ſingularis ingreditur ſyllogiſmum, quia in-
finitæ ferè ſunt ueræ, uel pro maximo tempore, ut hic triangu-
lus eſt figura, uel etiam ſemper, ut hic ſol eſt lucidus, hæc lu-
na uoluitur orbiculariter. Secundò ſi uniuerſales ueras ut nunc, 2°.
ſyllogiſmum ingredi, idea Ariſto negaſſet, quia ſunt ueræ ut
nunc, ſequeretur ꝙ non ſolum formam ſyllogiſmi, ſed materiam
etiam contemplatus eſſet. & nihilominus Auer. inquit, Ariſto. p°. Priorum
intentio in præſentia eſt dicere quo modo ſcire poſſimus, quan- 12°.
do eſt, & quando non eſt, ſyllogiſmus ex propoſitionibus poſ-
ſibilibus abſolutè, hoc eſt ſecundũ ꝙ ſunt poſſibiles, aut in plus, Locus 16°.
aut æqualiter, aut minus: quoniam hoc in libro conſideramus de notandi.
de forma, non autem de materia ſyllogiſmi. Vnde ut huius ue- Dilucidatio.
ritas pateſiat ſciendum ꝙ Ariſto. complicans inexiſtẽs cum cõ-
tingenti in prima figura dixit, ꝙ ſi maiorem poſſibilis & mi-
nor inexiſtens, concluſio eſt contingens. at ſi maior de ineſſe et
minor contingens, concluſio quidem ſequetur, non tamen colli-
get uerum contingens. At cùm inexiſtens ſit duplex, ut nunc,

ut omne motũ eſt equus, & ſimpliciter, ut omnis coruus niger. dubitaret aliquis, quomodo ſumendum eſt inexiſtens. reſpondet Ariſt. ꝙ debet ſumi ſimpliciter, & non ſecũdum tempus, quia hoc non conficit ſyllogiſmum. Si quæres, cur hoc inexiſtẽs uniuerſale uerum ut nunc non conficit ſyllogiſmum? non dicit, quia eſt uerum ut nunc, reſpiciens materiam: ſed dicit cauſam eſſe, quia concluſio poteſt ſequi affirmatiua, & negatiua: ut ſi ſolus homo moueretur, uerũ eſſet dicere, omne motum de ineſſe homo, contingit omnem equũ moueri, ergo neceſſariò nullus equus homo. rurſus de ineſſe, omne motum animal, contingit omnem equum moueri, ergo neceſſariò omnis equus animal. ex quo apparet Ariſt. negaſſe huiuſmodi uniuerſales ueras ut nunc ingredi ſyllogiſmum, quatenus inutilem combinationem efficiunt, non autem quatenus ueræ ut nunc. Cùm igitur ſyllogiſmus confectus ex ſingulari uera ut nunc determinatam concluſionem concludat, & non quandoq; affirmatiuam, quandoq; negatiuam, nulli dubium ꝙ cauſa prohibens uniuerſales ueras ut nunc eo modo cum contingenti complicatas ſyllogiſmum ingredi, ꝙ circa ſingulares non habebit locum. Quòd uerò ex ſingulari confectus determinatam concluſionem concludat, indè manifeſtũ [nã cũ ſingularis in figura, de qua loquebatur Ariſt. minoris locum ſibi uendicet] ex ipſis etiam exemplis poteſt comprehendi, ex inde determinatam concluſionem inferri ut cuicumq; febricitanti euacuandi humores, Socrates febricitat igitur. quemcumq; febricitantem ſola dieta eſt poſſibile ſanari, Socrates febricitat, p°. Priorũ. cap. 2°. igitur. & ſic de omnibus alijs. Ex his ad Auer. uerba exponenda pergamus, Alexander (ut ei Auer. impingit) uolebat ꝙ propoſitio de ineſſe ſit contingens deducta ad actum: contra in-

quit Auer. nam huiuſmodi propoſitiones ſolum eſſent ueræ in
ſingularibus, & non in uniuerſalibus: modo Ariſt. hac de ma-
teria loquens uniuerſales etiam conceſſit. Sed dicet aliquis pro
Alexandro, aduerte o Auer. quia etiam huiuſmodi propoſitio-
nes poſſunt uniuerſaliter uerificari, poteſt n. eſſe ꝙ actu omnis
homo currat. Huic obijcit Auer inquiens, bene uerũ eſt ꝙ poſ-
ſunt uerificari uniuerſaliter, ſed nõ niſi raro, & per accidens:
modo huiuſmodi propoſitionum genus abiecit Ariſt. Vult dice-
re hoc genus propoſitionum uniuerſaliũ quæ ſunt ueræ ut nũc
reiciuntur ab Ariſt. quatenus complicatæ cum minori poſſibili,
inutilem faciunt concluſionem ergo per abſolutas propoſitiones
non debent intelligi contingentes deductæ ad actum, quia propo
ſitio abſoluta indifferenter ſeruire debet ſyllogiſmo ſimplici et
compoſito, quod non faciunt hæ, cum quandoq; omni, quandoq;
nulli (ut in prædicta complicatione uiſum) concludant. Vt ſic
igitur Auer, exponendo palam quidem ꝙ huiuſmodi propoſi-
tiones non reiciuntur quatenus ueræ ut nunc, (ut aduerſarij fin
gunt) ſed dicit Auer ꝙ abſoluta propoſitio non eſt intelligen-
da contingens deducta ad actum, quia non deſeruiret indifferen
ter ſimplici & mixto ſyllogiſmo. quandoq; n. Ariſto. huiuſmodi
uniuerſales uera ut nunc ex mixtione reiecit, uelut determina-
tam concluſionem non differentes. Quòd autem Auer. huiuſmo Confir.
di propoſitiones neglectas affirmet, quatenus aſſyllogiſticam fa
ciunt combinationem, & non quatenus uera ut nũc, ſignum eſt
euidentiſſimum, quia ex huiuſmodi propoſitionibus, (dũ nõ fit
aſſyllogiſtica combinatio) ſyllogiſmum fieri conceſſit; dico ſyl
logiſmum, non perfectum, ſed per accidens; non per accidens i.
fortuitu (ut aſſyllogiſtica combinatio) concludentem, ſed per

accidens.i.in tempore determinato, dum ſ. propoſitio actu uerifi catur. ait.n. hac de materia loquens ꝙ ex hac non componitur

pº. Prio. 13. ſyllogiſmus niſi per accidens, hoc eſt in tempore determinato

ſed eſt ex=cùm.n. miſcetur cum poſſibili, non complicatur ex ipſa ſyllogiſ

poſitio. 14ª. mus omnino (non indifferenter ut dictum, ſed dum) hoc eſt, ut

Obiectio. minor ſit poſſibilis. ꝙ ſi quis nobis opponat eiuſdem Auer. uer=

paulò ſupe=ba aſſerentis, ex abſolutis uerò quæ inueniuntur in pauco tem=

rius. pore, ut ꝙ omne motum ſit homo, planum non fieri ſyllogiſmũ.

Reſponſio. gloſſamus profectò, ꝙ negat fieri ſyllogiſmum perfectum & proprium, quam etiam gloſſam antiqua tranſlatio cognoſcit di=cens, ſed de abſolutis quidem quæ inueniuntur in minimo tem=pore, ſicut eſt omne motum eſt homo, eſt manifeſtum ꝙ nõ ſit ex huiuſmodi & propriè compoſitio, ſicut non ſit de poſſibili ſecundum minus.

Septima ratio & eſt prima ſuper addita.

CVM Balduini obiectionibus hucuſq; ſit ſatis factum, conſequẽs iam eſt, ſicut in principio polliciti ſumus, ꝙ ea in medium ſpicula (ſingillatim proferendo) infringamus, quæ ab alijs aduerſus noſtram determinationem adducta ſunt, uel

1º. ſaltem adduci poſſe animaduertimus. Inter quæ primum locum obtineat Auer. autoritas, dum primo Phyſ. affirmat, ꝙ per com=poſita mixta, Ariſt. indiuidua demõſtrata intelligere nequit. Cũ ex iſtis non procedatur ad ælementa & principia intellecta, nõ enim ſunt partes ſyllogiſmi.

Reſponſio.

Reſpõſio aliorum. HVIC Obiectioni Alexan. Achillinus, & eius auditor Pamphilus Montius reſpondere conantur, aſſerentes ꝙ negat Auer. enuntiationem compoſitam ex termino indiuidui natura=

liter ſignificatiuè ſyllogiſmum ingredi, quia ſingulare non habet propriam ſpeciem in intellectum ut uerò propoſitio compoſita eſt ex termino ad placitum ſignificante ſingulare, & inductionem & ſyllogiſmum ingreditur, quia ut ſic eſt in intellectu. Contra hanc reſponſionem unus ſaltim apparens ſcrupulus eſt, Cõfutatio. quia dato ꝙ diſtinctio eſſet uera nõ tamen uidetur ꝙ ſit intenta ab Auer. eo in loco, faceret enim Auer. obiectionem nullius apparentiæ. dubitat ſiquidem ibi Auer. Ariſt. in 3° textu dixit mixtum apud nos notius eſſe, & in 5°. uidetur illud iddem aſſerere dum ait, nomen indefinitionibus & reliqua. quare ſuperfluus. reſponderet aliquis ꝙ non eſt iddem, nam in 3°. textu intelligit indiuiduum ſenſatum, in 5°. uerò intelligit uniuerſale definitum: Contra inſtat Auer. quia impoſſibile eſt ex talibus indiuiduis procedere ad elementa, cũ nõ ſint partes ſyllogiſmi. Si per uos indiuidua ſunt partes ſyllogiſmi quatenus ſunt termini ad placitum ſignificantes dicerem ad rationem Auerr. ibi per mixta, indiuidua intelligere Ariſt. nam licet ex eis, ut ſunt termini naturaliter ſignificantes, ſyllogiſmus non conficiatur, cõſtituitur tamen ex illis, ut ſunt termini ad placitum ſignificatiui. Clarius itaq; dicerẽ ꝙ per ſyllogiſmũ ibi Auer. ĩtelligit de- Reſpõſio propria. mõſtrationẽ, ſingulariũ nempe nõ eſt demõſtratio, ut 7°. primæ philoſophiæ & p° Poſt. teſtatur Ariſt. 5 3. cap. 2 1. 2 2 3. cũ itaq; demonſtrationẽ ſigni (ut Auer. placet) in textu philoſophus aſſignaſſet, quæ ex mixtis & cõfuſis procedit. ideo arguit Auer. ꝙ ibi per mixta, indiuidua intelligere nõ poteſt, quia ex talibus ſyllogiſmus (demõſtratiuis. ſ.) fieri nequit. quã qdẽ gloſſam ipſe met Auer. innuere uidetur, dũ in reſponſione ex ſyllogiſmo ad demõſtrati- 2ª. uã ſciẽtiã trãſitũ facit, dicẽs ꝙ nõ ẽ remotũ Ariſt. per mixta in-

telligere et ipſa indiuidua, q̃a licet indiuiduũ nõ ſit principiũ in do
ctrina demonſtratiua, eſt nihilominus principium acquiſitionis
uniuerſalis, quod eſt principium doctrinæ demonſtratiuæ.

Octaua & eſt ſecunda ſuper addita.

p°. Priorũ. in prin°. ſe cundæ ſectã. OCTAVO Arguitur autoritati Philoponi, qui ſin
gularia nè dum quo ad ſi, uerum etiam quoad attributa
ſyllogiſmo cognoſci inficias iuit dum dixit, ſed de ſingularibus
ſimiliter nullus ſyllogiſmo concludet, ſeu aliquid ineſſe, uel non
ineſſe Socrati, uel Platoni. hec inconſiderate, ſed duplici ratione
motus hoc affirmat, quarum prima eſt, quia huiuſmodi ſingula=
ria ſenſibilia ſunt, quæ ſenſu & non ratione cognoſcuntur: ex
quo dicto Balduinus forſan ſuam primam rationem accepit. Se=
cunda uerò eſt, nam qui de ſingularibus aliquid uellet oſtende=
re, materiam ſyllogiſmorum generationi idoneam non haberet.

Reſponſio.

HVIC Dicimus q̃ hoc Philoponi placitum ueritati con
Vide primã tradiderê, ex rationibus à nobis adductis eſt manifeſtum. Phi=
ãnota. i præ lopone. n. autoritas eatenus colitur atq; ueneratur à nobis, quate=
fa. Secretos nus eſt cum ratione coniuncta. non. n. quis dicat ſed quid dicatur
rum. oportet attendi. Eius uerò primam rationem friuolam eſſe, ex
In p^a. rõne his quæ ſuperius diximus, liquere putamus. Secunda uerò fal
& in ſolu= ſum aſſumit, nam ſingularia ſyllogiſmorum generationi, tum in
tione prima actiuis, tum in factiuis diſciplinis conuenientem materiam prę=
Iu rõne 7^a. bere prius eſt declaratum. Vnde magis ad ueritatem acceſſiſſe
& 9^a. uidetur, cum hanc combinationem, Socrates ambulat, ambulans
p°. Poſt 28 per crura mouetur, nè dum ex ueris, ſed etiam uerum ſyllogiſ=
cõm. ſuo. mum eſſe aſſeuerauit.

Nona & eſt tertia ſuper addita.

OBIICIVNT. Etiam Ardeliones non nulli, aſſeuerentes ꝙ Ariſt. primo Prio. dum de medij copia diſceptat, apertiſſimè ex ſingularibus ſyllogiſmum fieri negauit.

Reſponſio.

OBIECTIO. Hæc Ariſt. falſum imponit, nam cum dixiſſet entium quædam eſſe omninò prædicata ut generaliſſima, quædam omninò ſubiecta ut indiuidua, non nulla uerò aliquo utroq; modo contingunt ut inter media, ſubiunxit, ꝙ rationes et conſiderationes ſunt de his intermedijs: non tamen ſemper, ſed maximè: nec omninò affirmatiuè, ſed quaſi rationes ex his maximè fieri dixit.

Decima et eſt quarta ſuper adiecta.

DECIMO. Arguitur ratione, quam Achilleas uires habere Tiberius Bononienſis eſt arbitratus. formatur autem ratio ſic, ſi ſingulare ingrederetur ſyllogiſmum, tunc nõ omnis ſyllogiſmus reduceretur ad uniuerſales primæ, conſequẽs eſt falſum, ergo et antecedens. Conſequentis falſitas eſt manifeſta per Ariſt. qui primo Prio. ex intento omnem ſyllogiſmum ad uniuerſales primæ reduci demonſtrat. Conſequentia probatur, nam ſi in quarto ſecundæ fiat hic ſyllogiſmus, omnis equus innibilis, Socrates non eſt innibilis, ergo Socrates non eſt equus, ad uniuerſales primæ non reduceretur.

p°. Phyſ. 5°

cap. 7°.

Reſponſio.

AD Hanc negamus conſequentiam, ad probationem reſpondemus (ſicut quidam etiam reſpondere ſolent) ꝙ ille ſyllogiſmus redducitur ad primum primæ tali pacto, omnis equus eſt innibilis, Omne quod eſt Socrates eſt equus, igitur. Sed contra, ſi hæc reductio eſſet uera, ſequeretur ꝙ omne uni ſoli com-

Obiectio:

2°. cōpeteret eius tamen oppoſitum primo Cœli aſſirmauit Ariſt. conſequentia probatur quippe cū, omne, tribuatur indiuidui ſub=
cap. de genere et de ſpē. iecto, quod unum ſolum eſſe dixit Porph. Ad hoc reſpondentes
Reſpōſio. aſſerimus, eſto φ indiuidui ſubiectum unum ſecundum rem uoluerit eſſe Porph. poterit tamen ſecundum rationem multiplicari. Socrates. n. nedum de hoc ueniente, ſed de hoc homine, de hoc animali, atq; de hac ſubſtantia prædicari poteſt, quæ unam quidem rem, diuerſo tamen modo nobis oſtendunt.

Vndecima & eſt quinta ſuper addita.

PRæterea poſſet argui ſic, indefinita nō confert ad ſyllogiſmos cōficiundos, ergo nec ſingularis. antecedēs probatur autoritate Alexandri primo Priorū aſſerentis, in conuerſionibus Ariſt. de indefinitis nihil dixiſſe, eo φ ad ratiocinationes utiles non ſunt. Conſequentia probatur per locum ſecundi Topicorum; ſi quod magis uidetur conferre ad ſyllogiſmū nō confert, ergo nec quod minus, ſed magis uidetur indefinita conferre ad ſyllogiſmū q̃ ſingularis; & (ut probatum) non confert, ergo nec ſingularis. Quòd autem indefinita magis uideatur conferre ad ſyllogiſmum q̃ ſingularis eſt manifeſtū, quia ex libello Perther. indefinita nō ſolum habet ſubiectum actu uniuerſale, ſed etiam potentia uniuerſaliter: modo de uniuerſalibus magis q̃ de ſingularibus rationes fieri primo Priorū confeſſus eſt Ariſtotelis.

13. cōm. ſuo

cap prim o. loco 35.

ſect. 2°.

ſect 2°. in princ.

Reſponſio.

HVIC Reſpōdentes antecedens omnino negamus, ad Alexandrum, dicimus φ miramur hoc ipſum aſſeueraſſe, cū Ariſt. ſyllogiſmos ex indefinitis ſicut ex particularibus apertiſſimè confici poſſe docuerit. Poſſet tamen Alexandri dictum quoquo=

modo

modo tali pacto defendi. quia ſ. Alex. non ſolum dixit Ariſt. de indefinitis nihil dixiſſe quia ad ſyllogiſmos inutiles ſunt, ſed addidit ſecundam cauſam, quia ſ. particularibus æqualem uim habent: agnoſcens.n. primam reſponſionem eſſe falſam, uelut ea non contentus uoluit aſſignare ſecundam. Sed replicabis, poſſet hoc modo ſaluari Alex. ſi diſiunctiuè huiuſmodi rationes protuliſſet, ad diſiunctiuæ ſiquidem ueritatem ſufficit alteram partē eſſe ueram. At cùm rationes has copulatiuè protulerit, & ad copulatiuæ ueritatem utriuſq; partis ueritas exigatur, uidetur quod utrăq; ueram eſſe uoluerit. Ad hoc faciliter reſpōdetur, quod nota copulationis hoc in loco uſus eſt Alex. pro nota diſiunctiōis, quod apud græcos quandoq; fieri ex eorū monumētis eſt manifeſtū. Replica Reſponſio. Locus 17. not.

Duodecima & eſt ſexta ſuper addita.

VLTERIUS arguitur ſic, ſi ſingulare ingrederetur ſyllogiſmū, ergo poſſet ingredi demonſtrationē. Conſequēs eſt falſum, ergo & antecedens. falſitas conſequentis patet per Ariſt. prima Poſt. 7°. & penultimo Diuinorū, cōſequentia deducitur per regulam uulgatam, quod competit generi ſpeciei non repugnat, ſed ſyllogiſmo, qui eſt genus demonſtrationis, per te competit fieri ex propoſitione ſingulari, ergo & demonſtrationi non repugnabit. cap. 21. 22 53. cap. ult°. p°. Prio. 5°. & p°. poſt. 8°.

Reſponſio.

AD Hoc dupliciter reſpōderi poteſt. Primo negatur cōſequentia. Pro reſponſione ad probationem noto quod aliquid cōpetere generi contingit bifariam, uno quidem modo per ſe, quia eſſentialiter conſequitur ipſum, ut ſenſibile animali. alio uerò modo accidentaliter, quia ſequitur genus, quatenus inſequitur aliquod inferiorum, quomodo ſenſibile corpori competere dici- Reſponſio per inſtantiā.

mus. Tūc dico, quod competit generi primo modo non repugnat alicui ſpecierum: ſed nego minorem, non. n. ſyllogiſmo competit eſſentialiter fieri ex propoſitione ſingulari, quia ſic competeret cuicumq;: ſicut cùm habere treis terminos eſſentialiter competat ſyllogiſmo, cōpetit cuicūq; ſyllogiſmo. Sed fieri ex propoſitione ſingulari competit ſyllogiſmo ſecundo modo, & accidentaliter, quatenus.ſ. competit alicui ſyllogiſmo: & ſic accipiendo minorem, maior eſt falſa, nam licet corpori competat ſenſibilitas, quia tamen non competit eſſentialiter ei, ſed gratia inferioris, & accidentaliter, ob hoc non competet cuicūq; inferiori, ut puta lapidi, ſed ei repugnabit.

Reſpōſio fiduciaria Secundò negatur falſitas conſequentis, pro quo intelligendo notanda eſt ſententia Auer. quod multa ſunt, quæ & ſi cōpetant generi ut genus eſt, & ex conſequenti cuicumq; ſpeciei ſub ratione generis, repugnant tamen ſpeciei ſub rōne propria. exemplum, motui ut motus eſt competit uelocitari in infinitum, ergo & motui cœleſti, quatenus motus eſt: repugnat tamen ei uelociori motu moueri eo quo mouetur, non quatenus motus, ſed quatenus talis motus eſt. Sic etiam omne corpus naturale ut corpus naturale eſt poteſt quieſcere, & ſic corpus cœleſte quatenus corpus naturale quieſcere poteſt, repugnat tamen ei quieſcere, nō quatenus corpus naturale, ſed quatenus tale eſt. Sic ad propoſitum, cōpetit ſyllogiſmo ut ſyllogiſmus eſt fieri ex propoſitione ſingulari, ergo & demonſtrationi hoc non repugnabit. Tranſeat iſtud: ò, Ariſt. dicit oppoſitum. Reſpondeo quod cùm competat ſyllogiſmo, competet demonſtrationi, etiam ſimpliciter, quatenus ſyllogiſmus eſt. inquit aūt Ariſt. hoc ipſi repugnare, quatenus talis ſyllogiſmus, & non quatenus ſyllogiſmus eſt.

6°. Phyſi; 15.

7°. Phyſi. 2°.

f.

Decima tertia & eſt ſeptima ſuper addita.

INſuper poſſet argui ſic, ſi ſingulare ingrederetur ſyllo-
giſmum artificialem definitum ab Ariſt. ergo ſpecies eſ-
ſet prædicabile artificiale, conſequens eſt falſum, ergo & an-
tecedens, conſequentia deducitur, nã ſi per te indiuiduũ eſt pars
ſyllogiſmi artificialis ut ſubiectum, ergo ſp̃es, quæ primò de in-
diuiduo naturaliter prædicatur, erit pars eiuſdem ut prædicatũ. Porph. cap.
Veriori.n. prædicato in artificiali ſyllogiſmo indiuiduum uerius de ſpecie,
ſubijcitur. Conſequentis falſitas oſtenditur, quia Ariſto. nume-
rans prædicabilia artificialia, non numerauit ſpeciem, quod ideò p°. Top.
factum eſſe aſſeuerandum eſt, quia non eſt prædicatum artifi-
ciale, cũ prædicetur de indiuiduis, quæ artem non ingrediuntur:
ſecus.enim diminutus fuiſſet Ariſt.

Reſponſio.

AD Hoc reſpondeo, ꝙ extendendo nomen artificiale, vide reſpõ.
etiam ad illud quod deſeruit recto uſui artis, neganda ad 2am.
eſt falſitas conſequentis, ad probationem, dico eſto ꝙ Ariſto. eã
non explicuit, tamen ſub aliquo aliorum eam coordinauit. quod,
ne noſtrum figmentum eſſe uideatur, ex ipſo Auer. declaro. Ait cap. 3.
enim ſic; iam loquuti ſumus de rebus ex quibus componuntur
quæſita, & præmiſſe, hoc eſt prædicata & eorum ſubiecta. Si
igitur per Auer. determinatum eſt de ſubiecto propoſitionis &
problematis topici, quod quidem ut in pluribus eſt ſpecies, (de-
finitioni etenim generi atq; differentiæ ſpecies ſubijcitur; ut et
patefacit Alexan.) cui dubium ꝙ per Auer. etiam de ſpecie eſt
determinatum. quod cùm explicitè ab Ariſt. factum eſſe non ui-
deamus, ne Auer. ſit mendax, hoc implicitè ab eo præſtitũ eſſe
credere debemus. Sed obijciet quis, ſi ſpecies cũ illorum aliquo Obiectio.

eſſet coordinanda, potiſſimum hoc eſſet cum genere, ut eſt maniſeſtum. Quod tamen ex inſētu Alex. p°. Topicorū impugnat.

cōm. 12°. Ad hoc ego dico, eſto ꝙ Alex in primis uerbis hoc aſſirmarit, tamen uidens hoc ipſum non eſſe ſatis tutum, & uniuerſaliter uerū ſubdit, ſi uerò de aliqua ſpecie ſit problema quod habeat quæſtionem, patet id eſſe genericum. nam & ſpecies de multis dicitur, & in eo quod quid eſt, non ſecusq; genus. Eſt.n. natura generis ac ſpeciei ut alternatim dicantur, ita, ut de iiſdem prædicentur. In quibus ſanè uerbis apertiſſimè confitetur Alexan. ſpecificum problema ad genericum poſſe reduci.

Decimaquarta, & eſt octaua ſuper addita.

VLtimo arguitur autoritate Ariſt. in penultimo Diuinorū ſole clarius aſſeuerantis, ꝙ ſyllogiſmus ex ſingularibus fieri nequit. Sunt aūt eius formalia uerba hæc. Non.n. fit ſyllogiſmus, ꝙ hic triangulus duobus rectis, niſi ꝙ omnis duo recti. neq; ꝙ hic homo animal, niſi ꝙ omnis homo animal.

Reſponſio.

HVIC Poſſet dicere quis, ꝙ Conradus, Ludouicus Viues, & Argyropylus illū inter Ariſtotelicos libros minime recenſent. Nos autem conſiderantes, ꝙ nedum Eraſmus, Zimara, Sueſſanus, Gandauenſis, Beſſariō, & Magnus Albertus illū uelut Ariſtotelicū agnoſcunt, ſed etiam Auer. Syneſius, atq; Alex. (ut aliàs demonſtrauimus,) aliter reſpondere debemus. Dicimus itaq;, ꝙ per ſyllogiſmum ibi, demonſtrationem Ariſt. intellexit. non enim de quolibet, ſed de eo, qui ſcientiam parit, eo in loco ſermonem habebat. quod & Magnus annotauit Albertus, & ipſe Ariſto apertiſſimè innuere uiſus eſt cùm dixit. Nec iterum erūt ſcibilia elementa cū nō ſint uniuerſalia, ſcien

vide noſtrū catalogū.

tia uerò uniuerſalium ſit, conſtat uerò ex demonſtrationibus, ac definitionibus. non. n. ſit ſyllogiſmus ꝗ hic triangulus duobus rectis, ſed ꝗ omnis duo recti. nec ꝗ hic homo animal, ſed ꝗ omnis homo animal. Et ſic ad laudem Dei uiui hæc tertia pars finem obtineat.

QVARTA ET VLTIMA PARS.

HIS Tribus quæſiti partibus abſolutis, poteramus bona fronte præſenti libello finem imponere, tamen ad uberiorem doctrinam hanc quartam partem, ueluti appendicem quandam addere uolumus. in qua notanda non nulla declarabimus, quæ & ſi circa præcedentium partium locos aliquot occurrant, eorum tamen declarationem nos, non ſuis in locis patefacere, ſed potius in hunc uſq; locum differre decreuimus. Sic. n. à principali intento minimè uagati doctrinā feciſſe arbitramur & breuiorem, & clariorem. Sic etiam illis, qui minore pomœrio finire deſiderāt ſatis factum eſſe credimus. quòd ſi qui erūt qui non hoc, ſed pinguiorem doctrinam inquirunt, poterunt bi mediante horum notandorum cognitione ſuo deſiderio facere ſatis, uel hæc ſeparatim hac in parte legendo, uel etiam, (ſi libuerit) horum unumquodq; inter ſerendo proprio loco, quem marginalis annotatio deſignat. Eorum autem ſit primum hoc.

Ex multiplici ordine, quem in quæſitorum explicatione Peripatetici obſeruare ſolent, Auer. ſpetierum demonſtrationis numerum indagans primo Poſt. hūc eſt imitatus, ꝗ. ſ. rei ueritate primò declarata, exinde ad Auicennæ rationem oppoſitum probantem ſe conuertit, nec immeritò, hic. n. procedendi modus et breuiſſimus, & clariſſimus exiſtit. quippecūm uſdem rationibus, eodemq; progreſſu, nedum quæſiti ueritas pandatur, ſed et p^{m}. not. 95.°

cuiuſuis opinio aliter ſentientis demolitur, eodemq; etiã ictu quo obiectiones ueritati contradicentes diſſoluuntur, & rationes qbus oppoſitũ opinãtes ſuſtẽtãtur, ĩfringũtur, & probabile ſignũ ab
71. Auer. p° Phyſ. declaratum ad ueritatem confirmandam habetur Hũc eundem & nos cùm ne dum hoc in quæſito, ſed etiam eo in libello, quem de logices definitione inuulgauimus olim, ſimus proſequuti, cui dubium ꝙ & Peripateticum, & optimum procedendi ordinẽ (clamitent ut cũq; blacterones) ſumus imitati?

2m. notãdũ. Veri ſingularis Ariſt. meminiſſe pluribus ex locis ſuadere conantur, inter quos locum adducunt ex primo Poſt. 12°. non animaduertentes ꝙ tunc inter ſenſata, & intellecta comparationem feciſſet Ariſt. quod & Auer. aduerſus Auicennam impugnat, & ipſi, qui hunc locum Balduini quæſito addiderunt, aduerſus Latinos improbant.

3m. notãdũ. In expõne cap 21. 11. 98. In principio prædicabi.

Demonſtrationis uocabulum fuſius quandoq; pro ſyllogiſmi nomine ſumi, haud quaq; falsò à nobis eſt aſſeueratum, quippe qui nedum Alex. p°. Prio. ſed etiam Philoponus, & Euſtraceus 2°. Poſt. hoc idem annotarunt. Quo exiſtente Auer. affirmans ꝙ omnia quinq; Prædicabilia partes demonſtrationis eſſe poſſunt ab omni calumnia leuiter liberatur.

4m. notãdũ. p°. Prio. tra. 3°. cap p°. cõn. 14°.

Ex his illud profectò liquet, ꝙ cùm ſyllogiſmi definitio ei oſtenſioni, quam expoſitorium ſyllogiſmum uocãt, minimè competat, (non enim eo ꝙ hæc ſint, ſed gratia ſenſatarum propoſitionum concludit, ut Magnus inquit Albertus) nulli dubium ꝙ ſyllogiſmi nomen ab eadem eſt remouendum, quod Alexã. primo Prio feciſſe uidemus.

Obiectio. cap 9°.

Quòd ſi quis obijciet Ariſto. p° Prio. exponentem rationem ſyllogiſmi nomine dignam arbitratur.

Reſpõſio.

Dicam profectò id quod eo in loco Alex. & Auer. annotarunt.

Ariſto.ſ.per exponentem ſyllogiſmum, haud quaquã rationem ex duabus ſingularibus conſtitutam intellexiſſe,ſed orationem ex altera uniuerſali negatiua,altera uerò uniuerſali affirmatiua coſtantem,quam ideo uocat exponentem,quia uniuerſalis negatiua huius ſyllogiſmi particularem priuatiuam alterius (cũ minoris ſit ambitus) exponit.

Si igitur ſyllogiſmi nomen ab Ariſto.definiti exponẽs ratio non meretur palàm q̃dẽ, ꝙ Pamphilas Montius uolens probare ſingulare ſyllogiſmum ingredi,ex eo quia expoſitorium ſyllogiſmum ingreditur, friuolè argumentatur. 5^m^.notã lũ In calce tr. de demõſtr.

Magnus Alber.ſingulare ſyllogiſmũ nõ ingredi clarè cõfeſſus eſt,opinionem Balduinus approbat,uerũ inq̃t ab Alberto malè aſſignatam; cùm inferius ſui met oblitus ſingulare expoſitoriũ ſyllogiſmum ingredi affirmet. Sed q̃; ridicula hæc ſit obiectiò quam ex marginali annotatione Balduinus deſumpſit, ex ſuperioribus annotatis eſt manifeſtum.negat.n. Albertus ſingulare uerum ſyllogiſmum ab Ariſt.definitum ingredi poſſe,concedit tamen eam in expoſitorio ſyllogiſmo collocari,quem (cũ eo quòd hæc ſint non cõcludat)uerũ ſyllogiſmũ ab Ariſt.definitum appellare nequimus.Sed dices,ubi hoc cõceſſit Albertus? Reſpõdet Balduinus p^o^.Prio.tract.4°.cap. 9. Sed mendaciũ eſt manifeſtũ,ut caput illud inſpicienti liquet.quod (ſiue Balduini inſcitia,ſiue ſcribentium incuria fuerit admiſſum) ab his, qui illius operum dilucidatores ac locupletatores, ſe iactant,non fuiſſe animaduerſum demiror ; eoq; magis ꝙ marginalis annotatio nõ eo in loco,ſed in tract. 3.cap p^o^.hoc Alber.cõceſſiſſe quẽuis cõmone facit.Cũ.n.idẽ locus ſit impreſſus,q in manu ſcriptis codicibus cernitur,ad Typographi incuriã cõfugere minime poſſunt. 6^m^.notãdũ.

7ᵐ.not. Quæres quā de cauſa in Enthymemate altera propoſitio ſo
Lec.pᵃ. let omitti? Ad hoc primo Poſt. reſpondet Angelicus doctor di
In principio cens ꝙ Rhetores (ad eos.n. Ariſto ſententia Enthymema pro-
Poſteriorū. priè ſpectat) hoc faciunt propter incertitudinem materiæ, cir-
& Rhet. ca quā uerſantur ſ. circa actus ſingulares hominū in quibus uni-
uerſales propoſitiones nō poſſunt ueræ aſſumi, & ideo loco ſyl
logiſmi, in quo neceſſè eſt eſſe aliquam uniuerſalē, utuntur ali-
quo Enthymemate, in quo non neceſſe eſt eſſe aliquā uniuerſalē.
Quæ quidē uerba duplicē ſenſum habere poſſunt. unus quidem
eſt, ꝙ cū in actibus humanis, circa quos Rhetores uerſantur, ob
materiæ incertitudinem uniuerſalis propoſitio, undiq; uera ſu-
mi nō poſſit, neceſſariò utuntur Enthymemate, in quo nō eſt ne-
ceſſarium eſſe propoſitionem uniuerſalē, neq; expreſſam, neq;
implicitam: quē ſi habuit Thomas non approbamus, nā ſi propo
ſitio, quæ mente concepta fuerat, proferatur, ex Enthymemate
2 9°. nō fiet ſyllogiſmus. cuius oppoſitum Ariſt. & Auer. 2°. Prio.
ca.de pᵃ.2ᵃ. affirmat, omnis.n ſyllogiſmus (ut p°. eorūdē declaratur) ex alte-
3ᵃ fig. præ ra ſaltem uniuerſali conſtare debet. Alter uerò ſenſus eſt ꝙ cū
ciſè tamen ob materiæ incertitudinē uniuerſalis propoſitio undiq; uera ſu
cap. 7. mi nō poſſit, utuntur enthymemate, quia cū in ſola ſingulari ex-
preſſa ſaluetur, non eſt neceſſarium (uelut in ſyllogiſmo) ꝙ in
eo etiam uniuerſalis exprimatur: ſed ut eius falſitas occulatur,
mente concipienda relinquitur. quo quidem modo ſi Thomas in-
2°. Prio. tellexit, tunc iddem dicere uidetur, quod & Auer. dum in enthy
2 9°. memate alteram propoſitionē ob eius falſitatem quandoq; omit-
ti affirmat. Philoponus autem & Mag. ntinus p°. Prio aliā re-
ſponſionem aſſignant, dicentes ꝙ oratoribus nō quanto libet tē-
pore, ſed ad clepſydram orare permiſſum erat, ne igitur imper
fecta

fecta oratione ſtatutũ tempus præteriret, breuitati cõſulentes alteram propoſitionem omittere cogebantur. Vel ut ijdem affirmant, hoc illi ideo faciebant, ut eam iudicibus cogitandam relinquerent, & ea ratione illis adularentur: innuere uolentes q; oportune ipſi iudices dialecticas rationes callerẽt, ut illos ad ſuas ſententias perducerent. Vel potius (ut Alex. & Auer. arbitrantur) in enthymemate altera, quia nota derelinqui ſolet. p°. Prio. & p° Topic. in defin. ſyllo.

Quæres an ſolum dictum de omni ſufficiat ad ſyllogiſmũ? 8m. not. Credo ꝙ nõ, nã ſi per demonſtrationem in terminis paribus cõcludetur a, de b, per c, cuius pars ſit d, cui dubium ꝙ tũm a, dicatur de quolibet b, per dictum de omni poterit fieri deſcenſus ad d. ſicq; ex maiori naturaliter ignota fiet progreſſus ad concluſionem haud æquè ignotam, quod ex 2. Prio. cum ſyllogiſmo cap. 16. ſtare minimè poteſt.

Diximus ꝙ hic, hæc, hoc, non particulare, ſed ſingulare ſignificat. 9m. not. Contradicet quiſ, nam tunc hæc eſſet ſingularis, hic ueniens eſt Sophroniſci filius, & tamen Porph. hanc indiuiduam eſſe dicit, ſi ſolus Socrates ſit illi filius: non igitur ſolum pronomen hic, reddit propoſitionem ſingularẽ. Ad hoc dico ꝙ illius loci ſcriptura uariè circũfertur. Quidã. n inter {hic ueniẽs} & {Sophroniſci filius} faciũt pũctũ, tũc iſthæc nõ cadit dubitatio, qppecũ duo ſint ĩ diuiduorũ exẽpla ad inuicẽ diſtincta, Sed hæc lectio phraſim diſturbare uidetur, nã ſi ĩ duobus exẽplis copula ponitur, cur in ultimo, ubi magis apponi deberet, omittetur? Hac forſan rõne moti nonnulli legunt ſic, & hic ueniens, & Sophroniſci filius. Quæ quidem litera nullã pateretur ambiguitatem, ſi Græca lectio copulã illã agnoſceret. ſed cùm ab ea non agnoſcatur, aliter dicere cogimur. Dicimus itaq; hanc, hic ueniens eſt textus orgaõni ſecũdum quaſdã impreſſiones. tex. Gaetani.

Sophroniſci filius, eſſe ſingulare ex parte ſubiecti, ueluti hæc, Plato legit; non tamẽ ex parte prædicati, niſi ſolus Socrates eſſet illi filius: tunc enim idem eſſet dicere, hic ueniẽs eſt Sophroniſci filius, ac, hic ueniens eſt Socrates. Porphyrius itaq; per conditionalem illam (ſi ſolus ſit ei Socrates filius) prædicatũ ſingulare reddere uolebat, non autem ſubiectum, quod ex ſeipſo eſt ſingulare.

10[m].not. In his Auer. uerbis illud annotatu dignum arbitramur, quod quatenus inquit huiuſmodi mixtis ſyllogiſmis ſolùm artes operatiuas uti, eoq; ſumunt adiumentum à diſpoſitione indiuiduorum, uidetur clariſſimè aſſerere, q́ ſolum operatiuæ, & nõ ſpeculatiuæ ex altera ſingulari ſyllogizent. Et tamen in 7°. Ethi.

cap. 5. nedum in practicis, ſed etiam in ſpeculatiuis ſyllogiſmos ex ſingulari conſtitutos uiſus eſt conceſſiſſe. Nodũ hunc alijs diſſoluendum derelinquere lubet.

11[m].not. Primam rationem aſtruentes aduerſarij duo inter reliqua dicunt, quorum unum eſt, ſi concluſio poſſet eſſe ſingularis, poſſet etiam eſſe neceſſaria ipſa concluſio. Alterum uerò ſi præmiſſa neceſſaria concluſio inſuper neceſſaria. Quorũ primũ abſq;

p°. Prio. ĩ mixtionibus. propoſito ab his effutiri quiuis animaduertere poteſt. Secundũ uerò falſiſſimum eſſe, ex intento patefecit Ariſt.

12[m]. not. Ex nõ paucis aduerſariorũ dictis, quæ correctione digna à nobis iudicãtur, unũ profecto uulgatũ apud eos intactũ nõ derelinquere decreui. Aiunt. n. ſyllogiſmi propõnes neceſſariò naturaliter

12. notas eſſe debere, quod quidem ſimpliciter dictum mihi non arridet, nam per naturaliter notum aut intelligunt cauſam, ut p°.

2. p°. Poſt. cõmẽto primo. Poſt. & p°. Phyſ. Ariſt. intellexit aut per ſe notum, & nõ per aliud notificatum ut Auer. aduerſus Alphar. diſceptans. Si pri-

ſmum dicent, tunc demonſtratio quia ab effectu procedens ſyllo-giſticas propoſitiones non obtinebit. Si ſecundũ (quod ex intentio affirmare uidentur) nec demonſtratio propter quid demonſtrationem quia præſupponẽs, nec demonſtratio ſimpliciter, quæ ex propoſitionibus demonſtratione concluſis conficitur, ſyllogiſmus nuncupabitur. Sed dices, nonne ſunt Auer formalia uerba? operis ſyllogiſmi inquãtum eſt ſyllogiſmus, eſt, q̃ per ipſum dignoſcatur naturaliter ignotum ex naturaliter noto: naturaliter autem notæ in ſyllogiſmo ſunt ipſæ præmiſſæ, & naturaliter ignota eſt ipſa concluſio. An opus ſyllogiſmi inquantum ſyllogiſmus, eſt ut per ipſum dignoſcatur. i. diſci poſſit naturaliter ignotum ex naturaliter noto? alijs.n. à ſyllogiſmo hoc minimè competit. q̃ ſi quis ſyllogiſmus ignotum ex naturaliter notis nõ concludet, non tamen ob hoc ueriſſimus ſyllogiſmus non erit uocitandus. ſecus.n. nec cœlũ uero motu moueri ſequetur, cùm nũq̃ uelociori motu ciatur, eo quo iam mouetur.

p°: Priorum lec. 17ª.

Dubitatio.

Reſpõſio.

Syllogiſmum naturaliter ignotum neceſſariò concludere pluribus medijs ſuadere conantur, inter reliqua autem, unum eſt autoritas Philoponi in p°. Prio. aſſerentis, q̃ concluſio ſit ignota naturaliter. alterum uerò fundatur ſuper uerbum, aliud, in definitione ſyllogiſmi poſitum: aiunt. n. eorum nonnulli uim in uerbis facientes, cùm ex Porph. aliud, differentiam eſſentialem ſignificet, ſtudio Ariſt. dixit, aliud, & non, alterum, ut ſ notaret omnimodam differentiam præmiſſarum & concluſionis: quaſi dicat, quòd illæ debent eſſe naturaliter notæ, hæc uerò naturaliter ignota. Sed neutrum concludit, non primũ, eſto n. q̃ Philoponus affirmet, concluſionem eſſe diuerſum à præmiſſis, quia illæ notæ hæc uerò ignota, nõ tamen ob hoc aſſeuerat, q̃ debet eſſe na-

13ᵐ. not.

In definitione ſyllogiſmi.

c p. de differentia.

turaliter ignota, ut ei falsò adſcribunt. nec ſecũdũ, quinimmo eſt contra ipſos: Ariſt. n. non ἄλλο. i. aliud; ſed ἕτερον. i. diuerſum, ſeu alteratum ex ſyllogiſmo neceſſariò dixit euenire.

14.[m] not. Quærẽtes cur Ariſt. ſingularẽ omiſit, reſpondentibus eam ad particularem, uel indefinitam eſſe ab Ariſt. redactum, ſi obijcerent, non ingreditur ſyllogiſmum, ergo ſub neutra illarum eã redducere potuit, rationem & ſi non ueram, apparentem tamẽ facerent. At uolentes probare ꝙ nõ ingreditur ſyllogiſmũ, quia eius non meminit Ariſt. ſi reſpondentibus ꝙ meminit ſub nomine indefinitæ, argumentarentur, non ingreditur ſyllogiſmũ, ergo eam ſub aliqua comprehendere non potuit omnino ridiculam rationem adducerent. Cùm igitur obiectionem banc contra reſponſionem ad primum quæſitum Balduinus adducat, eius uerò aſſeclæ eam contra reſponſionem ad ſecundum coaptent, non ille, ſed hi ſunt irridendi.

15.[m] not. Cum triplex articulus apud Græcos inueniatur, ſingularis, dualis, & pluralis, ſi ſingularis ſemper uirtutem haberet reddendi propoſitionem uniuerſalem, additus illi Socrates curret, eam etiam redderet uniuerſalem: quod ridiculum eſſe primo Prio. Philoponus declarat. Indefinitæ tamen propoſitioni præpoſitum, eam uniuerſalem quoquo modo reddere nedũ Philop. & Magentinus ibidem confitentur, ſed etiam iddem Magentinus, Pſellus & Ammonius in calce libelli Periber. hoc ipſum ex Ariſtoteleis uerbis oſtendere conantur, licet inter impræfinitam cum articulo, & uniuerſalem cum ſigno hoc diſcrimen Philop. agnoſcat, ꝙ cùm infinitam cùm articulo proferimus, ut ὁ homo eſt animal, tunc naturæ & ideæ hominis, uel cuius uis alterius, animal, ſeu quodcũq; aliud ineſſe ſignificamus. At quæ

In definitione præpoſitionis. Ammo. ſec. 2[a]. p[o]. et 2[o] et ſec. 3[a]. p[o] clarius tñ ſec. ultima ſect. uo.

do uniuerſalem cũ ſigno pronunciamus, ut omnis homo eſt animal, tunc indicamus ea indiuidua, quæ continẽtur ſub ſpecie animalia eſſe. ex quo ſit ut hæc uera ſit, omnis homo eſt albus: falſa autem illa ὁ homo eſt albus. eſto.n. ꝙ albedo cuilibet homini ineſſet, non tamen ob hoc naturam conſequeretur. Dualis uerò, cùm plura duobus ſignificare non poſſit, indefinitæ præpoſitus eam uniuerſalem minimè reddet. de duobus.n. omne dici, primo cæli nequit Ariſt. Pluralem uerò eidem præpoſitum illam uniuerſalem non reddere, & Ammonius, & Magentinus oſtendere conantur. quãuis Burana Ammonio aliud quidẽ aſcribat: 2°.
Pſellus autem primam philoſophiæ definitionem declarans, oppoſitum aſſerere uidetur, dum ait, dictum eſſe philoſophiã eſſe cognitionem entium cum articulo τῶν, ut omnia entia includantur. Cui (ſui met forſan oblitus) Magentinus aſtipulari uidetur, dum illud Ariſtotelicum exemplum de indefinita (contrariorum eadem eſt diſciplina) haud ſatis uerum arbitratur, quia eſt cum articulo ſcriptum. In libro de ſex philoph. definitionibus. p°. Prio. in definitionẽ propõnis.

Et quia iam de articulis incidit ſermo, ideo circa ipſorũ ſignificationem unum aliud annotare lubet. Aiunt nõ nulli articulũ apud Græcos eius, cui applicatur, unũ potiſſimũ & ſummũ cũ ẽphaſi quadã ſignificare, ut puta ſi diceremus ὁ philoſophus intelligeretur Ariſt, quod qdẽ in noſtra Italica lingua (quæ articulis quãdoq; uelutì Græca utitur) eſt manifeſtum, ex hoc uolunt Ariſto. in primo Ethicorum quando definiuit bonum, quia ipſum cum articulo protulit, non quodlibet, ſed ſummum definiſſe. ex hoc etiamarguunt ſacratiſſimum Trinitatis miſterium ab Ariſtotele cognitum, quippe cùm ex Trinitate perfectionem cuncta ſortiri aſſeuerarit, nec abſolutè, ſed cum articulo p°. Cæli 2°.

ut oſtendat unam eſſe ſummam & immenſam Trinitatem, quæ
eſt perfectio omnium rerum. Quibus tamẽ, circa utrumq; dictũ,
ex his quæ iam annotauimus haud difficulter ſatisfieri poteſt.

16m. not. p°. Prio. cap. 13°. ſed eſt expõ. 14.

In adductis Auer. uerbis ſyllogiſmum ex poſſibili raro fie-
ri poſſe manifeſtiſſimè conceditur, cuius tamen oppoſitũ Auer.
aliàs faſſus eſſe uidetur, dum dixit, ex abſolutis uerò, quæ inue-
niuntur in pauco tempore, ut ꝙ oẽ motũ ſit homo, planũ non fie-
ri ſyllogiſmum, ſed multo magis tantũ cũ poſſibili, quemadmo-
dum non fit ſyllogiſmus ex poſſibilibus ſecundũ minus. Vt hæc
apparens contradictio diſſoluatur notandum eſt, ꝙ in his uerbis
duo Auer. dicit. Primum eſt, ꝙ ex abſolutis, quæ inueniuntur in
pauco tempore non fit ſyllogiſmus, nõ omnino, ſed proprius &
perfectus, quod & antiqua tranſlatio dicit, & ipſe Auer. infe-
rius manifeſtat, cùm in his ſyllogiſmum in tempore determina-
to fieri concedit. Secundum uerò eſt, ꝙ ex his abſolutis ueris ſe-
cundũ minimum tempus, minus fit ſyllogiſmus cùm complican-
tur cũ poſſibili: nam quãdo hæ abſolutæ fierent maiores, & mi-
nores poſſibiles, omnino fiet aſyllogiſtica combinatio. quo an-
notato, dicimus ꝙ ſimilitudo illa (quemadmodum non fit ſyllo-
giſmus ex poſſibilibus ſecundum minus) ad primum, & nõ ad
ſecundum dictum ab Auer. refertur adeo ꝙ ſenſus eſt, ex ab-
ſolutis ueris ut nunc non fit proprius ſyllogiſmus, ſicut nec ex
poſſibilibus ſecundum minus fit ſyllogiſmus, proprius. ſ. quod
in antiqua tranſlatione clariſſimè patet., quæ ſecundum dictum
hic non agnoſcens, ſimilitudinem ſtatim primo ſubnectit. Sunt
uerò antiquæ tranſlationis uerba quæ ſequuntur. Sed de abſolu-
tis quidem, quæ inueniuntur in minimo tempore, ſicut eſt omne
motum eſt homo, eſt manifeſtum quòd nõ ſit ex huiuſmodi &

propriè compoſitio, ſicut non ſit de poſſibilibus ſecũdũ minus.

Sicut, uel, pro, &, quandoq; ſumi in libello Periber. annota- 17^m^.not.
uit Ammonius, ſic etiam & nos è conuerſo, &, pro, uel, non ſec. 3^a^.cõm.
nunq; capi ſolere animaduertimus. Eam etenim philoſophiæ de- 13°.
finitionem, quæ dicit phyloſophia eſt rerum diuinarum & hu- Ex Plat. in
manarum cognitio, ad hoc ut cuicũq; philoſophiæ parti compe- prin°.præd.
tat, hoc modo intelligendam arbitramur. Præterea æquale & Ammo. Pa-
inæquale dici, quanti maximè proprium eſſe in prædicamentis ch. & Pſel.
Ariſt. affirmauit, quod diſiunctiuè intelligendũ eſſe, ex his aper- cap. de quã-
tiſſimè colligi poteſt, quæ Ariſt. de qualitate loquens ſcriptare- titate.
liquit cùm qualitatis proprium eſſe dixit, ſecũdum ea ſimile uel cap. de qua-
diſſimile dici. Rurſus rectum & circulare de linea, par & im litate: et quã
par de numero in ſecundo modo dicẽdi per ſe prædicari primo titate.
Poſt. idem foſſus eſt Ariſto. quod tunc profectò uerificabitur, 31°.
cùm, &, pro, uel, poſitum eſſe dicemus. quam expoſitionem ipſe
etiam Arabs olſecit Auer. nulla enim linea eſt recta & circu-
laris, bene autem recta, uel circularis. nec etiam numerus par et
impar, ſicut omnis par, uel impar dici poteſt. Demũ particulam 2°.Phy. 3°.
&, in naturæ definitione poſitam pro, uel, ſumi debere, ne dum
ex Porphyrio magnus Simplicius affirmat, ſed etiam docti qui-
dam uiri ex Auerroe hoc idem oſtendere conantur.

F I N I S.

IOANNES MANPHVRIVS NEAPOLITANVS AD LIBRVM.

Vade liber, proferq; caput, contemne minaces.
Nam potes hoſtiles uincere ſponte manus,
Omnia proponis, docta ratione reſoluis,
Diſſeris, & multo condis acutè ſale,
Si fera bella geris, ſophiæ pater, atq; Storella
Stant pro te bellum qui ratione gerunt.
Vade ergo, & docta intrepidus pete limina, uinces
Et forti referes hoſtica ſigna manu:

Impreſſum Neapoli Anno Domini.
M. D. LII.